...10. II. Epist. CVI. p. 283. J. Colomes. Opusc. p. 153. Epte ad Crold... p. 167. ... Alciat. p. 87. ... Band. Cent. II. Ep. 62. M. ... Lipsi ...

DISSERTATIO

DE IDOLO HALLENSI,

IVSTI LIPSI mangonio & phaleris exornato atque producto.

Auctor est Petr. Denaisius. vide Bo... Dissert. de Politic. Lips. p. 53 Melch. ... mus in Vitis Jctor. p. 447. Boecl. D... Politic. II. p. 320.



M. vjC. V.

20

ARNOBIVS Lib.VI.

Quid fieri poteſt iniurioſius, contumelioſius, durius, quàm DEVM alterum ſcire, & rei alteri ſupplicare? opem ſperare de numine, & nullius ſenſus ad effigiem deprecari.

LACTANTIVS Lib.II. Cels.XIX.

Non eſt dubium quin Religio nulla ſit, ubicunq; ſimulacrum eſt.

ORIGENES Cont. Cap.VII.

Impoßibile eſt, vt qui DEVM novit, ſupplex fiat STATVAE.

DISSERTATIO DE IDOLO HALLENSI,
IUSTI LIPSI mangonio & phaleris exornato atque producto.

PROLOGUS.

PRIMUM omnium si quis est, quem usurpatum nobis Papistæ nomen offendat, eum scire oportet, non personatã nos fabulam dare, nec histriones in scenam producere, qui ora oscillis velent, & sub vegrandi falsoque Catholici cognominis cortice fallant,

— cuius pallentis hiatum
In gremio matris formidet rusticus infans;

sed quibus studium rem seriam agere seriò, & veritatem exhibere nudam, qui illi habitus ut naturalis, ita solus lõgè decentissimus. A capite suo nomen utrique fecimus, illi Christiano, huic Papistæ. quid æquius, quàm unde totius corporis membra sigillatim spiritum & incremẽtum ducant, inde ut sortiantur & notam nomenque? Quid, quod sunt, qui non solùm adgnoscant, sed & jactitent? nec hi tam pacati mitésve, ut injuriam mussare, quàm miscere cuncta & perdere malint, sed factiosi, & belli tubæ facesque. Quibus si credas, & tantisper risum teneas, Papa nihil est aliud, ipsâ vi & notione vocis, quam *pater pastorque totius orbis Christiani perpetuus.* Et Papista igitur perpetui patris pia soboles, & tanti pastoris dignus alumnus: lapsique per imprudentiam an arrogantiam plærique veterum, atque in his B. Cyprianus, qui, quod *Papa superbum est nomen & nimium potens*, adgnovit. & Papæ quidem Chri-

Eph. 4. 15.

Burckh. de Autonom. par, 3. cap. 5. in f.

In vita Cypriani.

Chriſtianorum: cùm nec Orbis, nec perpetuus, nec Romæ adeò, verùm in urbe Romanæ olim æmulâ, ſed ob id ipſum, deletâ, paſtor paterque audiret. Sed de Nomine ſatis & ſuper: Rem putate, & quid hic aut ille ferat, eò aures animumq; aduortite.

CHRI.

CHRISTIANVS PAPISTA.

QVID iſtud nouæ librorum ſupellectilis, Francofurto, vt videtur, è proximis nuper nundinis aduectæ? qui verò illi duo inſigniores, & præ ceteris cōſpicui, formâ amplâ & regiâ?

Chr. Contemplare frontes, & in his picturas, qui imaginibus duceris.

Pap. Quid tibi cum imaginibus, quas nominare ſoles Magiſtros vanitatis?

Chr. Non tam ego utiq;, quàm Spiritus Sanctus. Sed hæc alterius generis pictura eſt, & ſymbolum argumentumq; libri. Viden' tu Solem illum, vt plus â caligine, & longæ noctis tenebris, quæ nimis diu ſepſerant & obſederāt cæcas mortalium mentes, ſplendore puro illuſtret noſtrum orbem; & fumorum ac nebularum malas merces amandet ad eos, quos. Ier. 10. 8.

Sub pedibus Styx atra videt, monesq; profundi? Quorum opportunè detectæ non ita pridē ſedes, & via ſtrata inſtitoribus Papalibus Ieſuitis: quà vitreas ſuas exportēt exponantque pro gemmis, faciliùs ibi decepturi.

Semper vbi optenta denſantur nocte tenebræ: ſimul proſelytorum nouas copias ſcripturi, præſidium fulcrumque inclinatæ & ad lapſum iam pronæ rei Romanæ.

Pap. Solens tuo more facis, cùm & Papam ſannis, & fortes eius athletas cōtumeliis inceſſis. Sed ſi ego iſtos benè novi, næ quàm illi. Soli huic tuo haud multorum dierum inducias dabūt, quin admoto luculento Patrum foco, lumine clariore obſcurent eius nō tam flammas, quàm fumos, è ſcripturæ potiſſimum cortice, & viridanti ſtipulâ, culmo, fœno malè excitatos,

Vdos cum folijs ramos vrente camino.

Chr. Imò verò, quid illi per hos annos intentatum reliquerunt, quo tantam lucem ſi non reſtinguere aut obnubilare, at intuentibus oculos effodere poſſent. Sed cùm impetum omnem in

carpendâ & vellicandâ pelle effudissent, solido dentes illidere nō ausi; sibi ludibrium, libro quidem auctoritatem conciuêre intemeratam atque æternam.

Pap. Age verò, quæ illa alterius libri imago?

Chr. Mulieris puerum vlnis gestantis, non mysticæ illius,
Apoc. c. 12. quam B. Iohannes prospexit quādoq; cessuram immanitati atq; insidiis purpurati Draconis, & latituram ad tempus in locis; sed cuiusdam ligneæ sesquipedalis, quæ illius ipsius Draconis auspiciis, dum impotentissima eius regna vigebant, Hallis in sacrario quodam dedicata, & in densissimâ barbariei & superstitionum nocte, pro numine culta, nunc quoque in hac optimarum litte-
Act. Apost. c. 19. 24. rarum, & Euangelii clarâ luce, tamquam Dianæ olim Ephesiæ delapsum à Ioue simulacrum, Demetrium suum repetit, qui pari confidentiâ Apostolicæ de Christo prædicationi obstreperet; & magnitudinem Deæ magnâ ad populum vociferatione intonaret atque extolleret.

Pap. Cordatè ille quidē, & in tēpore, quisquis est, qui Diuos Diuorumq; sanctas imagines, *quia multi hodie etiam Christum professi, obstrigillant eorum honori aut cultui, extra ordinem asserit; & quas*
Lips. in D. Virg. c. 5. in f. *abijciunt alleuat, quas obtenebrant, illustrat, maximeq; D. Virginis, in quam de compacto incurrere videntur, & decus eius omne ire imminutum.* Neque vereor, ut Demetrius iste, quem dicis, poliorceticis non satis instructus accesserit ad solidandam basim suæ statuæ, & restituendum illi veterem cultum decusque.

Chr. Scin' quàm in tempore? tam hercules quàm Iezabel triumphantem de regiâ suâ tyrannicidam despectura, extremo
2. Reg. c. 9. 30. caput infaustū fuco atque omni lenocinij genere compsit; quò scilicet periret ornatior.

Pap. Hem impietatem! Téne imaginem B. Virginis, Christi servatoris nostri Deique æterni gloriosæ parentis, modò cum simulacro Dianæ, modò cum ipsâ Iezabele conferre; & non expavescere vindicē Filium! Quid est sacra prophanis, coelum terræ, Christum cum Belial miscere confundere, Deo Diuisque illudere si hoc

re, si hoc non est?

Chr. Ne Metue, & caperatam frontem crebrioribus crucibus quàm rugis inarare parce. Lignum illud Hallense, nihil mihi præter lignum. Cui qui Beatæ Dei genitricis nomen numenq; adfinxere, hi sunt qui sacrata nostræ Religionis jura reuulserunt: iniurii in matrem, impii ingnatum, transfugæ à Creatore ad creatarum rerũ vilissimas, lapides & ligna, & quo id quæso auctore, nisi eo ipso, qui etiam Gentes ab initio *docuit imagines & simulacra fingere*, ut monet Lactantius? aut cui tandem fini, nisi ut eandem sub aliis nominibus personisque fabulam ageret; atque *ut qui Dæmonum cultum reliquerant, si sanctorum imagines venerari juberentur, viderentur non tam Idola reliquisse, quàm simulacra mutasse*, quemadmodum Agobardus Episcopus Lugdunensis scriptum reliquit, suo, id est, Imp. Ludovici Pii tempore?

Diuin. instit. lib. 2. c. 17. in pr.

De pictur. & imag. p. 237.

Pap. Scio hæc ita disputari à vobis solere, proteruè magis quàm religiosè, aut ex instituto & more majorum. Sed his tu nunc missis, auctores istos mihi geminos ede.

Chr. Viri sunt ambo memorabiles, & in suo quisque genere prorsus incomparabiles. Alter enim belli pacisque artibus, & amplissimis apud suum Regem meritis honoribusq; insignis, ingenium divinum ad divini codicis, veterumque interpretũ monimenta excutienda contulit, eâ dexteritate & fide, vt peruestigatis solertissime figulorum Papalium errorum incunabulis atque incrementis, larvam iis, personamque antiquitatis, quâ tam falsò quàm insolenter tumetis, detraxerit. vt facessat tandem quæstio insulsa, quo temporis momento Romani Pontifices à primorũ Episcoporũ & Ecclesiæ Catholicæ fide aberrarint vel defecerint? Homines inepti! qui negaturi videntur senem longis laboribus, morbis annis fractum debilitatumque, minus nunc bellè quàm olim juuenem valere, nisi certum designetur momentũ temporisq; punctũ, quo ex vegeto & valente imbellis ac decrepitus derepẽte prodierit, ignari per gradus medios, aut cliuos ab imo ad summum adscendi; & sicut corporis, ita animi vitia furtim obrepere

pere & cumulari. *Nemo repente fuit turpissimus*, ait Satyricus, & tempore opus est, vt ex pastore fiat lupus, paullatim sensimq;,

In villos abeunt vestes, in crura lacerti,
Fit lupus, & veteris seruat vestigia formæ.

Alter verò in omni politiore litteraturâ eruditorum longè princeps, scriptor exactissimus politissimusque, vtinam quam in artibus humanioribus, ipsâque philosophiâ prætulit nobis germanæ atque incorruptæ antiquitatis facem, eam ipse adhibuisset in rebus divinis. In quibus scitè vereq; Tertullianus, *id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis.* Matthiam Hunniadē probat, qui in re militari disciplinâque bellicâ antiquitatem laudauit, *non quæ quingentis istis, aut sexcentis annis continetur sed Romanorum illud priscum æuum.* Idem in linguis stilo, historiâ, sapientiâ. Cur in Religione ad facta Patrum & religiosissimorum scilicet maiorum nos reuocaturus, exempla mendicatur ab his proximis trecentis annis, quibus nulla fuêre vmquàm sæcula, vel litterarum omnium fœdâ ignorantiâ deformatiora, vel morum maximeque inter sacri ordinis homines licenciâ & deprauatione contamiatiora? Cur Monachorum non ita pridem exorta somnia & delirameta, pro genuinâ antiquitate supponit, meram si ad Christi, Apostolorumque, & multa exinde sæcula conferas, nouitatē, meras feces? Cur non se audit, commendantē alibi Ordines fœderatos, quod *institutâ nupar scholâ*(Leiden siquæ Theologicis cumprimus studiis dicata) & *revocatis iis artibus, quas superiorum temporum vel calamitas* Vel Calliditas Potius *reiecisset, locum esse voluerint huic Soli, qui tenebras illustraret caliginosi illius, &* Varia Opinionum nube inuoluti *æui*?

Aduers. Marc. lib. 4. c. 5.

Ad Belg. cent. 1. ep. 21.

In dedicat Comment ad Tacit. editâ anno M. D. XXCI.

Pap. Iustum Lipsium ex veris, minimeque in vanum flexis præconiis agnosco. Et gaudeo equidē talem tantumque virum, desertæ, vti rèbare quidem, à modestis probisque viris causæ patrocinium suscepisse. Sic enim memini te sæpenumerò dicere, Et huius, & consimilium aliquot præterea errorum, tam perspicuam esse vanitatem & superstitionem, vt eorum ipsos Pontificis præ-

eis præcones ac parasitos, non tantùm piguerit ab initio, verùm etiam puduerit: nihilque tum crebrius in ore, & in omni sermone habuerint, quàm tollendos videri Ecclesiæ qui surrepsissent morbos atque abusus. Nimirum ut Medea capiti consulendum putavit jacturâ discerptorum fratris artuum & membrorum, sic istis leue fuisse dictitabas, jactum facere ludicrorum aliquot aut inanium impedimentorum, ut saluo capite Capitolioque, naufragij discrimen vltimum evitarent. Nec mirum, si qui in recentes & præferoces Lutheri sociorumque impetus, ac velut insidias, incauti præcipitarant, loco cessère parumper. Sed sicuti accidere crebrò videmus, vt primam aciem nutantem, jamque in fugam prolapsam, ac poenè fusam, superuenientes integri restituant, & vi maiore in hostem obuertāt: sic Iesuitæ, tempore nouus & collectitius miles, vsu veteranus & verè triarius, cunctatione conditionibusque omnibus animosè excussis, & quę molliores illi dederant receptis, pugnam ita redintegrarunt, vt vobis deinceps nō minùs desudandum sit circa imaginum penulas, & cucullos coloresque Monachorum, quàm olim in tuendis aris focisque.

Sleid. li. 12
Cassander. alii.
Caroli V. interim. in præfat. * pen. & vlt & cap. vlt.

Chr. Est ita ut dicis, Nam vt non solùm eas mulieres, quæ heri vel hodie peccandi initium fecêre, sed & quę longo vsu consuetudinē habitumque induère, peccati tamen sui pudet, adeò vt

Abscondant spurcas & monumenta lupas;

postquàm semel excussus est attritâ de fronte rubor, tum verò impudicitiam profitentur palam, fiuntque benè & gnauiter impudentes, quin & tantùm non iactant, ac *iram atque animos à crimine sumunt*: Sic principiò deprehensâ à paucis Babyloniâ meretrice in flagitiis & obscoenitate, pudor aliquis superfuit adhuc in rebus; Ex quo cum iis quos præuidit B. Iohannes, nefando complexu constrictā atque irretitam totus Orbis conspexit, tum verò necesse fuit existere vel de inferis, noui ordinis sacerrimos istos Monachos, qui animo firmati, & frontem triplici ære vallati, omnem turpitudinis infamiam, audaciæ magnitudine & perseuerantiâ discuterent. Scis nobile celeberrimi Cardinalis apoph-

Apoc. c. 17

Leg.C.L. thegma, Mendacii vim in pertendendo constare, præsertim si religionem & execrationes sagaciter admisceas, quas ad fallendum efficacissimas voce & exemplo docuit vir Papatu dignissimus Alexander vi. Hispanus.

Macchiav. in Princip. c. 18.

Pap. Esto nunc de his vt libet. At Lipsij spectata omnibus, & digna tali ingenii ac doctrinæ apice modestia, probitas, candor & fides, omnia ad priscum morem modumque, qui fieri possit, ut in re tanti momenti impostura tam exitiabili vteretur, & non jam pro virgine cervam suppositū iret, sed quod tu vis, pro Deo truncum? Nisi existimas fortassis, vel in legendis Patribus studiū, vel intelligendis judicium illi deesse.

Chr. Neutrum istorum, omnia in illo viro summa, sublimia, admiranda. Nec modestiam quidem nisi ægrè ademerim. De fide vt addubitem, causa est gravis, & rerum certa argumenta.

Pap. Nempe contra animi sui sententiam scribere hæc talia vis, & fallere scientem.

Chr. Hoc ipsum. & adderem lubens, etiam inuitum.

Pap. Cedò, quis illum cogit?

Chr. Quis, nisi ille, qui non rectè eminere diceretur supra omnia humana atque diuina, nisi quid quid est vspiam magnū excelsumque calcaret pedibus; & non tantùm de imperiis, sed & de ingeniis subactis triumpharet? Tum deinde tui Iesuitæ, quibus qui à nobis deficiunt, numquàm satis persuadent, bonâ se fide ad eos transgressos, absque eius modi pignore, quod nec relui pretio, nec retrocari resipiscentiâ possit. Hi quas ab eo sinceri transfugii arrhas poscant, ipsius passim indicio cognoscas.

Misc. ep. 5. Ad Ital. ep. 6.

Pap. Abi, nec vera dicis nec vero similia. quæro enim, primùm eccui bono, excessisse ex locis liberis, ut subiret jugum tam acerbæ servitutis, quâ etiam lingua & stilus alieno arbitrio manciparetur? An vt opes adsequeretur, vel honores? quos amplissimos certatim sibi delatos, hodieq; spernit. An vt gratiâ & auctoritate valeret, siue apud magnates, seu optimum & eruditissimum quēque? valuit. An famam captauit, & celebritatem nominis? habuit, & fine

& sine inuidiâ summam. Deinde vt his rebus flecti trahiue alius posset; non tamẽ Lipsius, qui ab ineunte ætate non linguã magis aut ingenium, quàm mentem excoluit; qui se semper meliorem, quàm doctiorem clariorem ue efficere studuit: cuius verâ philosophiâ duratum, & supra omnia humana assurgentum animum atque ardorẽ, ipsa eius scripta vbique spirant, ipsique adeo lectori quoque sensu quodam occulto inspirant.

Chr. Respondebo ad utrumque. Et primùm, cui bono fuit, Ciceronem relicto Pompeio, & causâ libertatis, transire ad Cæsarem, & tyrannidi sese subdere nulli magis inuisæ? Neque enim huic quoque cæterarum rerum, quas homines pro maximis habent & adfectant, vlla deerat, res, honor, dignitas, auctoritas, cliẽtelæ, eloquentiæ & rerum gestarum fama, atque celebris per orbem terrarum gloria, & gratia apud omnes bonos illibata. Quid igitur est? Quod plærique factitant, animum inclinauit quò propendère cernebat fortunam: & maluit cum Diis adhærere causæ victrici, quàm cum Catone victæ. Nec enim fallebat exitus prudentissimum senem, si nihil spectasset præter Duces partium, qui *Non coïere pares*. Nunc tu mihi considera tempus illud, quo Lipsius secessionem à suis Batauis fecit, castra secutus, vti videbatur, feliciora, certè potentiora. Floruerat eò vsque in Belgio res Hispana magnis successibus; & certatim oppida, seu vi, seu astu, partim proditione etiam, vel deditione redierant in ius ditionẽq; Regis. Sed tum maximè de rei summâ in Galliâ certabatur, quæ ita coniuratorum factionibus discerpta, ita Hispanicis armis opibusque oppressa tenebatur, Rege à Theologis suis non minus quàm Papâ interdicto, à Senatibus proscripto, ab oppidis maioribus deserto, ipso Regni capite Luteriâ Parisiorũ, eodẽ illo anno cIↄ Iↄ xci. à xvi viris qui tum ibi rerum potiebantur, Hispaniarũ Regi per litteras delato deditoque; vt oculatissimus quisque (talis Lipsius) actum conclamatumque de eâ, & consequenter de Belgis fœderatis crederet. Nam quin vna dies ambobus populis funesta futura, & utramque datura ruinam esset, Lipsius quidem num-

quàm dubitauit, cuius en tibi iudicium decretumque: *De Republ.*
Li. 2. ep. 72 *nostrâ non vanè asseris, pendère eam ab alienâ. Ita est in Galliâ certamẽ nostrũ cernitur: & qui ibi exitus, expectandus & nobis. Vt cymba magna alicui naui annexa, ita nos Galliæ sumus.* Imo plæraque adeo Europa. Quæ verba si confers cum illis alibi, *Fallor enim? an Solẽ nescio quem noui Imperij surgentem video ab Occidente?* non miraberis vltrà, nec causam quæres, cur Lipsius vel eos destituerit, quorum tam propinquum præsentiebat fatũ, vel iis sese aggregarit, quorum augurabatur potentiam atque imperium complexurũ Europam. Itaque sensus de Religione suos intimos, quoad vixit in Batauis, studiosè pertinaciterque pressit, memor & superioris tẽporis exemplis edoctus, quid ei à feritate Hispanâ, si quandoque superior foret immineret. Nunc nihil est in partibus illis tam vanum, superstitiosum, anile, absurdum, quod non præ se ferat, profiteatur, laudet, propugnet. Nimirum nullum vltra silentii præmium, aut vocis periculum ab iis, qui hanc oris libertatem vindicare nec possunt si velint, nec si possint volunt.

Lib. 1. de Constant. cap. 16 in f.

Iam de philosophiâ & animi tranquillitate atque constantiâ, si eam scriptis suis expressit Lipsius; multi itidem alii, in quorum numero & Cicero: nec tamen magis, quàm Imperator Iulianus ipsis moribus, totâque adeò vitâ. Neque hoc secius vterque desertor extitit, hic causæ quam professus foris fuerat, ille quam intus probarat: At Lipsius vtriusque.

Pap. Neque Cicero causam quam probauerat semel, postea damnauit, desertus ab eâ potiùs quàm desertor: neque certè Iulianus seriò vnquam Christo nomen dedisse videtur, et si metu Patruelis aliquamdiu simularit. sed Lipsius nec professus aliam Religionem est, neque probauit, præter eam cui firmiter hodieque insistit, priscam probamque. Nisi tu fidẽ habes fortassis, nescio cui oratiunculæ, sub eius nomine vulgatæ, *de duplici concordiâ.* quam ille nec agnovit, & falsi perspicuè conuicit.

In prefat. ad Lector. lib de Cruce.

Chr. Mirum quin agnoscat! professus pridem, *Nihil suum esse, quod non de autographo suo seque volente sit expressum.* Quid si ab

co

eo dictatum ? aut ex autographo descriptum præter eius assensum ? adgnoscet, an inficiabitur ? istud vtique & maximè, *si præter Religionem moresque veterum*, cuiusmodi ista nunc videri vult. Atenim sicut æquum est morem illi hactenus geri, vt *subitaria & quæ non censuit dedicanda in memoriæ templo*, ipso inuito ne edantur: ita quod semel scripsit, dixit, sensit, scripsisse, dixisse, sensisse nequaquam desinit, siue efferantur, siue non. Neque veritati præiudicium facit aut ipsius negatio, aut error exscriptoris in die vel consule, cum supersint etiam qui vindicare eam atque adserere suo testimonio valeant. Iam verò quid respondebit ad alteram illam orationem Ienæ itidem à se habitam in obitum Iohannis Guilielmi Saxoniæ Ducis, ibidemque non pridem iterum editam ? in quâ de bello Smalcaldico locutus, *causa bonitatem à Saxone, fortunam & Martem ab Imperatore stetisse* dicit. & vlterius deinde prouectus. exclamat intrepidus, *Saxonicam generosam stirpem, ad Dei hostes extirpandos, errores euertendos*, Pestem Pontificiam *excindendam, donatam diuinitùs & concessam* Ecclesiæ *esse*. & mox, Principum illum *non mendacem superstitionem, sed* Veram Euangeli *doctrinam, non tenebras sed lucem, non mendacia sed veritatem induxisse. &c.* Huius ipse orationis meminit apud amicum, & vulgaturum negat, habitam non dissimulanter adfirmat. Nec protestatio illa superior efficiet vmquàm, ut factum hoc infectum, dicta indicta credantur. Et habeo sanè penes me hominis autographas epistolas, eundem eius sensum minimè obscurè nudantes. Inter alias eccam tibi hanc Ienâ missam, ad Ocellum Germaniæ, a. d. Non, Iul. cIↄ. Iↄ. LXXIII. inspice sodes, & signum manumque adgnosce, ac illa mihi cumprimis verba rectis oculis contemplare ac perpende, *delectat me cùm loci huius amœnitas, tum præcipuè animi tranquillitas, &* religionis libertas, *præ quâ nulla regna meruerim.* Quam tu enim Religionem loqui eum censes, cuius libertatem Ienæ sibi quærendam duxerit? vna illa fuit tum, vt nunc quoque, eaq; ipsa quam Lipsius eò cùm venisset anno cIↄ. Iↄ. LXXII. circa

Cent. 1. epist. 10. primæ editionis.

festum Michaëlis, apud Rectorem eâ tempestate Tilemannum Heshusium sese amplecti testatus est, sinceram & Lutheranam, eamque professionem sacræ cœnæ ibidem vsu & communicatione publicè obsignauit. Ergo etiam in scriptis ab ipso editis, passim incidas in sententias vocesque fortuitas, & quasi imprudenti elapsas, sed tamen huius taciti sui sensus testes, quas in posterioribus editionibus aut sustulit, aut mutauit. Sed inter ceteras hæc
Cent. 1. ep. 97. mihi eximia semper est visa, *Ego enim seriò scio & sentio, in vno Deo, & filio eius Christo, qui nos benignè redemit, liberauit, spem omnem positam humanæ salutis, vias ad eam perueniendi, expressas in sacris literis.* Quid enim? hanc fidei confessionem pro catholicâ habebunt, qui eius sibi censuram hodie adrogant? pro quâ vnâ tot martyrum millia superioribus annis per Galliam, Angliam, Belgium & alibi viua cremata, aliisue fœdis suppliciis crudelissimè excarnificata vidimus. Quî verò convenit fiducia illa in vno Christo,
Ad Ital. ep. 56. cum recenti hac spe in Virgine Hallensi, & in meritis cucullæ & funiculi Franciscani? Porrò hæ viæ, vbi locorum in sacris litteris expressæ, aut leuiter tactæ? vbi non præcisè inter inania vanissimorum hominum commenta damnatæ? Quid, quod Leeuium de morte vxoris consolaturus, eam scribit *traductam ad requiem, gaudium, & veram vitam*, salutis suæ per fidem certam? quam ta-
Cent. 1. ep. 91. primæ edit. men deinde sententiam in posterioribus editionibus, quia mutare turpe erat, interpretatione euertit, addito temperamento isto Veluti Certam. nec effecit tamen, ut ignoretur in qua nam illa fide ac professione Hagæ tum diem suum obierit. Quod si omnia non se ita haberent, tamen si quis rogaret, cùm tam longè lateq; pateat *sacrati illius capitis, cui Reges inclinantur & capita submittunt* ditio & immensa per orbem terrarum potestas: quid eum in Thuringis & Batauis inter illos *impuros, malos, nouatores, ad turbas & exitium Europæ natos*, sedes quærere, & docere puplicè impulerit, hominem tam Papæ, Monachorum, simulacrorum obseruantem, tamque largum cultorem? quid tandem haberet, vnde contractæ labis notam, & contagionis suspicionem elueret? *Fluctus,*

inquit, *patria eiecerant*, audio & memini Ienâ quoque *non voluntate suâ abductum, sed fato abreptum fuisse*. Sed si fluctus è patriâ eiecerant, an iidem in stationes illas malefidas Ienam dico, & Leidã tanquàm ad Cyclopes Vlyssem compulerant potiùs, quàm in tot tutissimos Pontificii iuris & sacratæ iurisdictionis portus? an sic incluserant occluserantque, vt Ienâ fato, Lugduno tredecim annorum tædio seri vix tandem reditûs admonẽdus esset, interea quasi loton lethenue gustasset patriæ Papæque oblitus? an tamquàm in novam Semlam delato, màre frigore clausum, aut vela ventique negati fuére remeandi in hunc veterem & Pontificium orbem? *ad populum phaleras*. dissimulet, neget, eieret, quàm volet, prioris fidei professionem: frustrà erit. subolebit fraus non emunctioribus tantùm, sed quantum arbitror, illi ipsi Zvvyckio, cui in oppugnatione Hallensi nasum detersit tutelare eius oppidi lignum, non sine cumulo noui & insignis ad posteritatem miraculi. *At corpore fuit inter illos, non animo, & isto propior semper bonis: Hallensis Deæ à primâ adolescentiâ cliens deuotus, Cardinalitius alumnus, discipulus Iesuitarum, ipse semi Iesuita.* Ergo igitur de animo cuius ille secundum Deum vnus optimè conscius est, cum ipso non pugnabo. & si attendisti, religionem puriorem amplexum esse, & in cor sinumque demisisse non dixi: professum dixi, & demonstraui. Quod si planè de Lipsii fide & opinione quam concepit ne Deo, conjecturam facere exscriptis & vitâ velim: propior sim existimanti, numen illum statuere quidem, & Deum vniuersi conditorem, eundemque æternum rectorem cum suis Stoicis credere: ceterùm de Christo haud valdè plus quàm illos sollicitum esse. Et hoc quoque à Stoicis habere, vt adcommodet se loci cuiusque legibus, acceptamque Religionem *si non in animo habeat, tamen in actibus fingat, seruetque tamquàm legibus iussam, non tamquàm Diis gratam.* Sic cum Romæ aliquando fuit, ne dubites Romano vixisse more. At Ienæ, vbi per Rectorem Heshusium, perque Academiæ instituta aliter nõ licuit, ritus & mysteria participauit antè damnata. Leidæ, libertate loci usus, abstinuit ab iisdem

Cent. 1. ep. 10 primę edit.

D. Virg. cap. 7.

ad Ital. ep. 6. 8. ad Germ. ep. 68. Virg. Hall. cap. 1. Miscell. ep. 30. 34. 87.

August. de Civit. Dei, lib. 6. ca. 10

dem

temque modò à Gallis modò ab Anglis circumspexisse, fiduciam nusquàm non maiorem, quàm in Regis præpotentis, *Crassorumque Crassi*, opibus, potentiâ, jure, causâ, clementiâ collocasse. Quæ ego singula sic demonstrabo deinceps, vt obsignatis cum eo tabulis agam, iisque utar testimoniis, quorum auctoritatem defugere non possit. Ecce enim tibi Epistolarum centurias duas priores, ab ipsomet publici juris factas anno cIↃ. IↃ. xc. quę sunt *affectus animi corporisque eius tabellæ*, in quibus (adgnoscis verba) *detegitur & subiicitur oculus penè nudus*, vbi depingitur *ingenii, adfectus, iudicii imò vitæ non vana imago*, vbi *non fucus aut simulatio, sed candor, veritas & non nisi natiuus color*. In his igitur tanquàm in pellucido speculo eum intueamur & audiamus loquentem. Anno cIↃ. IↃ. xxcii. meminisli qui rerum in Belgio status, quæ inclinatio animorum, sensusque Nobilium in prouinciis maximè mediterraneis fuerit. Eo igitur anno Brugis amicum euocans in Batauos, *Terrestres*, inquit, *Dii parum* Nobis *æqui*. nempe fluebant ex arbitrio Hispanorum, capto etiã à Duce Parmensi haud multò antè Tornaco. deinde conqueritur subesse *nescio quid turbellarum* apud nos, puta Theologos Leidenses. Iam quis ille Hostis, quem postea dicit *Nincuiam obsidere, & imminere Bruxelle*? annon Parmensis? atqui hæc sunt quæ vocat *de Rep. nec multa nec bona*. quin & ægrè fert *Gallos tam lentè & frigidè agere, nec pro ingenio gentis*, nempe optasset Alenconiũ audentius ire in Hispanos, & instructiorem à copiis fraternis. Nam per hanc moram in longum trahi rem, & produci calamitates patriæ jam exhaustæ. Porrò quàm impatienter fert *illud Antuerpiense facinus magnum & malum*, vt pote *quod malum, imò exitium patriæ secum tracturum putares?* Et videbatur certè exitium allaturum, non partibus Regiis, quibus nihil tum potuit contingere optatius; sed Ordinum, quos dolebat Lipsius à suis defensoribus proditos, nunc desertos à cunctis optans & gestiens. Eiusdem animi voluntatisque sunt illa anni Lxxxiii. *Lenta hic omnia, non læta, & videntur* Res nostræ (Ordinum) *velut vado quodam adhærescere, idque eo tempore, cum velis & remis festinandum*

In præfat. ad lect.

Cen 1, ep. 51,

Cent, 1, ep. 19,

Cent, 1, ep. 26,

Cent, 1, ep. 99,

nandum sit.quis tum igitur Annibal ad portas? & an periclitabatur causa *potentis illius* (vt nunc loquitur) Dei,*& magni nostri* Regis?minimè.quid ergo?*Nam qui in* Nos *pugnant* (Regii) *quos progressus quotidie faciãt, vides*,receptis nimirum exiguo spatio innumeris à Parmensi oppidis. *Remedium hîc mutatâ Reip. formâ, & ab vno capite quæritur*,Rege nimirum,non Hispanorum, sed Gallorum.*vtinam vtiliter!* quid Hallas donarii missurus Lipsi, si voti damnère?*Sed vix spero*.quid ita?*ita multi palàm,plures dissident occultè*.Consensum igitur velles,ac tum rediret in præcordia excussa fiducia. *A labe eâ quæ flandriam corrupit*(discordiâ & occulto quorundam cum Hispanis sensu)*immunis* nostra *Batauia non est* : *& hîc quoq; varia judicia & discidia animorum*.at verò

In pręfat.li. de Cruce.

Hoc hostis velit,& magno mercetur Iberus.

& hodie Lipsius censeat,si,quod videtur,eius est illa apud Meteranum epistola Achitophelica.Certè equidem & consuli cum in his talibus,& hæc talia esse qualia ille consulit, scripta hominis dubitare non sinunt.*Ita vereor*,dic nunc audacter,Opto, *ne rebus* Nostris(Ordinum)*fractis & labentibus, extremum malorum Discordia quoque accedat*. *Quod si fit:* nempe rem factam Rex habebit; à parte verò Batauorum *conclamatum est*. Annon igitur felix tunc prouinciarũ Belgicarum status,iudice Lipsio, cum Deo & Regi occlusam læta victoria ianuam reserabit,

Meter. hist. lib. 17. pag. 640.

Diductosque iugo coget aheneo? imò *Exequias Belgicæ quibus commodum est ire*. Duci enim à Dite Rege,aut trahi ab imperiosâ Proserpinâ,huc eôdẽ nempe redibat, Efferri. Perstabat fortuna apud hostem,& Lipsius igitur in lamentis & querelâ, *Respuplica*,ait,*nõ in bona spe*.quamobrem?nutabat forsitan imperium iusti Regis? contrà *Præcipuæ aliquot Flandriæ & Brabantiæ vrbes nauseare incipiunt,& fastidire præsentem hunc statum*,secessionis à Rege,& quid amplius?*consilia arcana agitare dicuntur cum* Hoste,id est,cum ipso Rege.quod tibi Lipsi vel vnicum maximè in votis, & hûc omnes vocas,vrges,increpas.Sed tunc alia tempora, alii mores, alia & discrepans oratio, Et enim concludebas,*quidquid horum est aut erit*

Cent. 1. ep. 43.

rit nos *pessima timere nihil nocuerit;& vt pugiles iam nunc parari ad strenuam cum omni sorte pugnam*. Ecce consilium monitumque tuum audiunt Ordines, & seruant religiosè, quid reuocas? At tu constantiæ Magister fecisti alterum, timuisti pessima: alterum cauisti, & pugilum oblitus, parasti te ad strenuam non Pugnam sed sed Fugam, exiguo sanè pretio defectionis. Namque

Ex illo fluere & retrò sublapsa referri

Spes Regis, fractæ vires, aversa Deæ *mens*. Deæ inquam tuæ Hallensis. Nam hoc si vellet; cur non adsciti in suum Sodalitium Lipsii preces & vota audiret pia ac propitia, perinde vt factitare antea solita, sacris suis necdum initiari? & quidni tam leui negotio mentem adimeret Batauis, quam mentum Ioanni Ryſſelmanno? quem arbitror quod rostrum in aggressione Hallarum amisisset, inde Rostrati, siue Ryſſelmanni nomen sortitum esse, quo scilicet minùs de miraculi fide dubitaretur. Sed pergamus. *Nubem hanc temporum vides, nec Solem aliquem qui pellat. ille quidem Gallicus qui discussurum se promiserat, videtur fouisse.* Cent. 1. ep. 35.
Qui Solem Gallum, is Nubē dixit Hispanam: & inde serenum, hinc turbas & tempestates expectauit; & quidem hac spe Gallicâ deiectus *veritus tempestates etiam mage maiores*. Rursus de Alenconii in Antuerpienses conatu eam concepit tristitiam, vt ambigat an verbo *Gaudii* vti sibi liceat, in tam acerbo casû; & rei indignitatem prout merebatur, multis verbis exaggerat. Nec finis irarum tristisque ægrimoniæ. Ecce enim Hostis, semper intellige Parmensem, *vicinus vobis* Antuerpiensibus, *perfidiâ eorum* (perfidiam vocat transitum ad partes Regias, quorum ipse factū longo pòst interuallo imitatus) *in quibus numquam fuit eritque fides*. Sed quod exitiosius, *etiam nunc immixti* Nobis, *nec longè à clauo, quibus idem morbus*. certè. id que tute tuo Lipsi exemplo comprobasti tandē. Ceterum iustè pieque execraris rem omniū perniciosissimam. numquid etiam iuuas? *uotis possum, non consiliis*. Sed votis opinor non Hallensi statuæ nuncupatis. Neque enim videbatur facilè pronis auribus exauditura. Sequitur annus LXXXIV. nondum

(Cent. 1. ep. 12. — margin note beside "deiectus ... Alenconii")

Cent. 1. ep. 54. satis æquus aut propitius rebus Batauorum. Itaque de Antuerpiâ tum à Parmense clausâ, & arctè obsessâ sollicitus, postquàm se fassus est *in aliis castris esse*, spem auxilii in Batauis & Mattiacis reponit, ægrè ferens qvod *tam leniè accurrât, nec vt ad socialem flammam* Quid porrò? *Quid sperem nescio, cum oculos deflexi ad hunc rerum statum*, tam lætum Regiis, fœderatis tam tristē. *qui indies minùs stabilis*, à parte quidē Batauorum, inualescentibus indies Hispanis; *& nisi à Deo aliquo fulciatur (non enim fortaßis à Gallo illo tibicine) ruet*. Ruet, id est, sub iugum reuertetur Hispani, aduersus quem tibicē inde è Galliâ accicbatur. Sed frustrà, & ob id maior hinc metus. Nam pòst anno LXXXV. *excusso Palinuro nostro*, hoc est haud dubiè, Principe Auraico, superiore anno, immisso ab hostibus percussore, immaniter nefarieque trucidato, *valde fluctuatur hæc nauis*, Ordinum; *nec Aeneam aliquem promptum video, qui succedat ad clauum*, & vestigiis nimirum insistēs Auraici, aduersus Oceani occidentalis fluctus defendat scilicet. Attamen ne metue, succedet filius, vindex olim paternæ necis, fortique patre tantò fortior & felicior, quantò Alexander Magnus magno Philippo.

Cent. 1. ep. 47. (margin)

Cent. 1. ep. 90 (margin)

— *vt Aiax*
Præteriit Telamonem, vt Pelea vicit Achilles.

Sed *varii inter Ordines sensus: benè, si nō dissensus, Deus videbit, ad quem confugio.* Iterùm quæro, cur non eâdem operâ ad Regem, cuius cum illo causam vis esse communem? in promptu ratio, quia hinc *bella, horrida bella expecto, aut certè tyrannidem non optabiliorem quouis bello.* Audiant hoc Batavi, & Lipsio acceptum ferant, sui præceptorum eius memores, pacis omnem sermonem abrumpant, & bellum tyrannide ducant potius. Et fecerunt quidem, confugeruntque primùm ad Gallum; deinde hoc à Belgicarum rerum curâ patrocinioque ad domesticū coniuratorū incendiū auerso, ad Anglos. Sed ne tum quidē securus, Lipsius *Resp.* inquit, Nostra (Ordinū) *quo loco sit vides, & quò perduxerint nos acerba quorundā consilia, nec percocta satis ad Prudentiæ solem. Hinc immites isti fructus*, dissidiorum inter Lycestrium Anglosque & Ordines. *Vtinam eiusmodi*

Ad Belg. 1. ep. 2. (margin)

Cent. 2. ep. 6. (margin)

Cent. 2. ep. 44. (margin)

iusmodi aliquot ingenia Nobis *ad clauum!* bonę preces pro Batauis. *facilè sedarent hi fluctus*, Anglicani. *Nisi fit*, id est, nisi coëant rursus Angli & Ordines, *mergimur*, hoc est, recidimus sub Regem. Deus *iuuet*, ne fiat scilicet: nunc audire mihi videor susurros contrarios, Dea iuuet vti fiat. De eodem illo Anglorũ & Ordinum dissensu, alibi angitur, & *vulnus ipsum*, inquit, *qui coibit, tam grande, tam pa-tẽs? Auctoritas alterius partis agitur*, Lycestriane opinor, *alterius ho-nor. & scis quàm lenti cedere isti* Nostri. quid tamen ipse? *manum sub-trahit, nec cum Milone temerè inserit inter hiantes has rimas.* at votis tamẽ presto est suis Batauis, *quæ* Deus ita faciat *coibunt.* & iterùm, *de Rep.* Nostra *nec ex tuis litteris mihi magna spes est, nec ex rumori-bus vulgi.* facilè conjicias triste aliquid ominari suæ Batauiæ aquo-sæ, *Si utrimq; pertendunt*, Lycestrius & Ordines; *quis exitus? Cedere altera pars debeat, aut potiùs vtraque & sic coire in arctum & amicum fœdus.* Vtile consiliũ Ordinibus, Regi inutile & detrimentosum. Nam iste *Amentia!* Hostis *in latere, & tantùm non ad portas Anni-bal*, Parmensis, qui eo ipso anno CIↃ IↃLXXXVII. Slusam oppug-nabat. *&* Nos *litigamus.* quod quo animo toleret detesteturque, pluribus exequitur, & additis ad Constantiam verborum stimu-lis, tandem concludit, *Standum in hac acie, & sine fuga vllâ cogita-tione vincendum aut cadendum.* Quantũ vel nunc mutatus ab illo, vel tunc diffidens à se ipso, & aliud in pectore clausum, aliud in linguâ promptum ferens! Perstat tamen in proposito tantisper votoque, & Vltraiectũ scribẽs, civitatẽ Anglorũ factionibus ab Ordinibus auulsam, *In Rep.* ait, *an apud vos quies? ita videtur*, Vtinã *& concordia cum finitimis provinciis* fœderatis, *sine quibus firmum nihil esse vobis potest contra* Hostem Hispanum. Bene *quod ille alibi distringitur* intentus vt puto in occasionẽ pugnæ naualis, & for-midolosæ illius anno LXXXIIX. Classis; *eoq; simultates exercere va-cuum nobis fuit.* Animum desideriumque vidimus, nunc iudicium audiamus, & de vniuersâ causâ sententiam definitivam. *Terrẽt te hæc ambigua? qui magis quàm nos? Sanè infirmus hic patriæ status, fa-teor, & qui sine manu Dei palàm ruit: sed valdè erras, si his pe-reuntibus,*

Cent. 2. ep. 27.

Cent. 2. ep. 47.

His consimilia plura vide etiam ep. 53.

Cent. 2. ep. 66. & in eandem sententiam plura, ep. 81.

Cent. 2. ep 17.

reuntibus, speras illic firmitatem. Europæ Libertas corruit, si semel hoc vallum. Viden' vt ordines fœderatos vocat Vallum Europæ? quænam igitur pote bellandi iustior causa, maiorque necessitas, quàm defensio non suæ solùm salutis, sed omnium? Quomodo autem corruat Europa, si illi? nisi quia Hispanis causa armorum, Ambitio, & imperitandi tam iniusta quàm immensa & inexhausta Libido? Hæc potuêre pronunciari clariùs? Nescio, tamen illustrata video etiam exemplo: *Macte hac laude ô Batavi, quod angulus vnus Europæ pro vocare olim Rom. Imperium, & XV. legiones ausi sitis nõ sine occultâ lege fati*, Iam tum vindices & adsertores publicæ Libertatis, Nota iam tum, quia hodieque, Atque his cùm alia consentanea permulta, tũ & hæc ipsa. *Fauillæ huius nostri incẽdii spargi mihi videntur & iam ad vos* (Heidelbergã, ubi tum Iunius) *ire, comprehensura* (*vtinam fallar*) *Germaniam totam arri igne.* Itemque ista, Nobis *enim* Ordinibus fœderatis, Quod Deus aduertat, *oppressis, quæ illis* Anglis *perennandi spes?* De his enim, id est, Anglis accipienda omninò quæ præcedunt, ne ipsa quidem leuiter transmittenda, *Dissidii semina palàm video*, Deus ille faciat *vt opprimantur in herbâ. Animos magnos illa gens auxiliatrix gerit & nostris certum non cedere de* Prisca Libertate. *Vtrique tamen* Angli & Ordines *aliquit remittent, nec funem hunc contentionis trahent, quod non potest sine casu & pernicie alternâ.*

In dedicat. comment. ad Tacit. ad Ordin. Bat. edit. xxc. ac deinde sublatâ.

Cent. 2 ep. 18.

Cent. 2. ep. 52.

Ex quibus omnibus perspicuum est, quænam Lipsii dum inter Batavos degeret, de bello & regis sui causâ mẽs, qui oculi, manus, ardor animi fuerit, quid cupierit, quid optarit. Ad quæ si illũ puræ Religionis studium, curaque libertatis impellebant, in eâdem fuit causâ quam toties iam tam acriter insectatur & damnat: si aliter, tantò ceteris deterior, quod nulla eũ tanta necessitas, nec vlla conscientiæ vel intentata vel extimescẽda vis à rebellionis crimine excusat.

Pap. Iam dudum ausculto impatienter, & demiror quis sit futurus tandẽ longæ huius & acerbæ insectationis modus, quisue fructus!

Chr.

Chr. Sic me Deus benè amet, uti nullum mihi ſtudium aut mala cupido eſt, inequitandi homini, quem ego ſemper & ſuſpexi magno ſuo merito, & colui acri ſenſu amoris. Sed intereſt publicè, fidem & conſtantiam noſſe, ne quis vel ingenii ſublimis & ignei admiratiõne inductus, vel tot religioſis aſſeuerationibus circumuentus, eius omnia dicta pro oraculis habeat, abducaturq; incautus à ſimplici veritatis viâ & æternâ ſalute. Vbi ille non cõmentitiam & malè decantatam vetuſtatem, & (quod tralatitium eſt omnibus dè ſacrarum ſcripturarum arce deiectis) maiorũ, ſed noſtris quàm Apoſtolicis temporibus propiorum, inſtituta & auctoritatẽ inſolenter prædicat; & Eccleſiis ad Apoſtolicam puritatẽ reformatis crimen Nouitatis calumnioſè impingit? *Qui aliquid libauit è Patribus aut Conciliis (nos fecimus) ſcit illam* (Eccleſiam) *eſſe vnam.* ſanè unam. ſed quod præcedit, *primam id eſt noſtram,* intelligens hodiernam Romanam; ò impudentiam ſingularẽ! quã ille profectò non à naturæ ſuæ bonitate hauſit, ſed à malis magiſtris Ieſuitis accepit. Ille verò tã hic ſciens fallit, quàm cum Deum (horreſco referens) teſtem inuocat, animi ſui ſemper proprioris bonis, id eſt, Papicolis Romanis. Hanc nõs impoſturam paullò antè deteximus: illam deprehendet, quiſquis iuxta diuini verbi fontes, Patrum verè antiquorum, Conciliorumque primæ Eccleſiæ integros & incontaminatos riuos guſtare puro palato & faucibus nõ vitiatis voluerit. idque Pleſſæus præclaro illo, quod dixi, opere executus eſt tantâ dexteritate, vt neceſſe ſit miſeros eſſe libenter, cœcitatique ſuæ & exitio relinqui ſpontaneo, ſi qui inani illius verborum iactantiæ adquieſcere malint, quàm huius contrectare manibus certa & neceſſaria rerum documenta. Hæc Lipſium conſiderare, & ſi poteſt, ſine dolo conuellere velim.

Ad Ital. ep. 11. & 12.

Ad Ital. ep. 8.

Pap. Fruſtrà. *alieni hi fines, quos ille numquàm ſcandet;* nec falcem immittet temerè in Theologorum iſtam meſſem. Nonne vides in hoc ipſo tuo codice, profiteri ſe Narratorem, non Diſputatorem? *Hiſtoriam* ait ſe *ſcribere, non ſubtiliter aut tenuiter aliquid ſuper Religione diſputare.*

Ad Lector.

Chr.

Chr. Et narrat quidem sanè, si non Historias, tamen perlepidas & dulci sermonis melle suauiter condîtas fabellas: exscribitque, ut ait ille, plura sine dubio, quàm credit. Sed non hoc agit solùm, etsi potissimùm. Disputat enim profectò, si nō subtiliter tenuiterque, pro errore me hercules crasso & stupido, at acriter & animosè. quin prouocat vltrò, & quasi victor superbus insultat. *Improbi sileant, nec color sit istis verè miraculis diluendis.* rursusque, *Quid omnis calumnia vel impudentia hæc contra possit?* At verò neutrā Lipsi in refellendis mendaciis opus: tu potiùs qui utramque præoccupasti, nec dubitasti doctrinam nostram quasi *spernentem Diuos, quaque in D. Virginem ex compacto incurrat, & decus ei omne imminuum eat* suggillare, conuitio improbo falsoque, tu inquā, quid alterutra in iisdem adstruendis valeat ostende. *Nihil de mendacio aut fuco sumimus*, ais. Iusiurandum deferrem, ni iniquum foret de alterius facto alterum iurare, & grave sub alieni compendii emolumento periurium anceps subire. Ac præterea, *quis vnquam ab historico iuratores exegit?* Quare quod restat, auctores posco, sed locupletes, & dignos quibus tantæ rei fides nitatur. *Acta & regesta legimus.* Quid si ea conficta ab hominibus ociosis & malè feriatis? Quid si composita ad compendiū quæstumque eorū qui congessêre? Negas? Res dicat, & affluētes inde Sacerdotū regales opes, qui non aliis magis visceràtionibus cibum sibi posterisque dapinauerunt æternum. tum & Papæ Nicolai Bulla, quā tuæ Historiæ subiecisti dignam operi coronidem, in quâ persuasionis istius causam finemque hunc lego, *vt Christi fideles ipsi eò libentius causa devotionis confluant, ac ad fabricam & reparationes, aliasque Capellæ & Ecclesiæ necessitates* Manus promptius porrigant Adiutrices. & adde annuas duodenas chlamydes, aut *(quia affatim iam chlamydum est)* certam pro his pecuniam. Quid verò etiā, si conscripta ab iis, qui fabulas eiusmodi venditare populariter, & imperitis imponere falsis falsimoniis fas piumque ducebant? Nisi putamus hac demùm ætate, aut non multò antè extitisse eiusmodi artifices, quales Dominicani illi Bernates, aut Franciscani Aurelianenses, aut

[Margin notes: Cap. 19. in pr. — Cap. 21. in f. — Ad Lector. & cap. 5, in f. — L. 11. *. 2. D. de act. rer. am. l. 4. in pr. D. de in lit. iur. — Pag. 84. — cap. 34. in f.]

ille Dordraci Erasmo decantatus Curio, qui Annibalis à Fabio ad Casilinum circumuenti & quasi indagine capti astu & arte bonos Quirites delusit. quid si denique eo ipso tempore, quo hæ imposturæ solemnes, & tum propter Principum incautam simplicitatem facilimæ, tum ob sacri gregis improbitatem & audaciam translaitiæ fuère? Nam tametsi Historicus noster, descriptionē suam non gemino ab ouo, primisque Diuæ incunabulis ordiatur nec stemma stirpemque repetat à nemore, in quo securibus icta cecidit trabs illa

Livius lib. 22.

Quam faber incertus scamnum faceret ne Priapum.

Maluit esse D E A M; — & ne nomen quidem tradat Promethei illius, qui ex trunco atque inutili ligno, tam præsens ac salutare mortalibus numen edolauit (cui certè statua & immortalitas haud paullò iustiùs debebatur, & æquius fuit, magno Athanasio teste, artificem deificari, quàm simulacrum: quoniam, vt Augustino placet, *Meliores sunt qui talia fabricantur, quàm ipsa*) tamen ex eo quod Consecratrix decessisse proponitur anno CIↃ CC LXVII æstimare datur, tum primùm, aut non multò antè, numen habere, & miraculo esse cœpisse. Sic enim Minutius Felix, *Ecce funditur fabricatur, scalpitur, nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremò Deus est, cum homo ille voluit & dedicauit.* tametsi ne hoc quidem admiserit facilè Carolus M. dum de imaginibus verba faciens, ait, *Si in his sanctitas non est (& reuera non est) quærendum vnde ei postquàm ex pluribus materiis compaginata est, accedat? quæ dū neque per manus impositionem, neque per aliquam canonicam consecrationem ei accedere inueniatur, nec inesse credenda est.* Quidquid sit, incidunt natales Deæ in tempus, non illud *eruditum, & omne quod fieri non potest, respuens*, de quo Augustinus alicubi, sed quo nullum fuit vmquàm miris modis mirabilium miraculorum tum cudendorum tum credendorum feracius; & cùm tam passim homines redauspicabant in vitam quàm nunc exauspicant, non minùs facili in reddendis quàm rapiendis manibus Orco. Vnus

C p. 15

De ver. Relig. c. 55

In Octau. p. 56.

Lib. de imag. 1, c. 24

De ciuit. Dei lib. 22. in pr. cap. 8

Ad Ital. ep. 56. *Iohannes a Vincentiâ*, Monachus Ordinis Franciscani (*cuius vbiqe terrarum sparsi coetus beneficia cum Lipsio communicata, & tot virtutum fructum ad eum exparte redundare iussa*) anno

Vigner. in histor. Eccle. pag. 496. clↄ cc Lxɪv. (vides coætaneũ Diuæ) octodecim mortuos Ditis patris faucibus eripuisse, & reduxisse cis Stygem, præterea morbos omnis generis, ipsosque Dæmones pepulisse creditus est: nec priùs detecta fraus impostoris, quàm viginti millia marcarum argẽti inde ad Monasterium annui quæstus confluxissent. Quin periclitatus pro hæretico Guido Bonatus, quod iam tum ab initio imposturam plani suspectasset, vt ipse testatur in suo libro de Astrologiâ. Et merebantur equidẽ crucẽ, qui fabulã tam lepidam improbâ curiositate turbarũt, & intempestiuè confixerunt cornicũ oculos. Nã si latuisset boni fratris astus; hodie quoq; vera eius miracula fuisse piè sibi persuaderet Lipsius, & aliquã inde particulam abraderet, iniiciendam quandoque in propriarum

Crantz. in saxon. lib. 4. c. 36. Virg. Hall. c. 8. in f. virtutum meritorumque lancem, ad exemplum calicis Laurentiani in appendendis operibus & actionibus Henrici Imperatoris. Quidni? cum *tam pronus semper fuerit in eorũ sodalitium, qui pietatis omnes numeros persequuntur, aut habent*. Et forent illa relata in Acta & Regesta, forsitan & depicta *in vetusto typo, in quo vestitum veterem notares* Monachi cucullati, cinctu Gabino. Sed ecce aliud

in Alex. IV. P. argumentum pietatis illius æui, illorum inquam *religiosissimorum maiorum, & qui ante doctrinam hanc spernentem Diuos nati*. Conscripserant Monachi librum, quem pestiferum vocat Platina, cuique nomen fecerant *Euangelio æterno*, quippe Evangelium Christi nec verum, nec perfectũ aut salutare fuisse, inter alia nefanda dictitabant, suumque istud ad illud collatum esse instar Solis ad Lunam: cui qui deinceps crederẽt, eos solos saluos fieri pos-

Vigner. histor. Eccles. p. 489. se. Hunc librum & hanc doctrinam passim & publicè proposuerant tum populo, tum & vniversitati Parisiensi; actaque res magnâ contentione, hinc Monachorum, inde Theologorum Gallorum & Anglorum; ac ad extremum delata ad Papam Alex. IV. Is licet auctoribus addictior, tamen in tam apertæ impietatis tam acri oppugnatione, librum damnauit, sed eâ lege, vti non solùm

secreto

secreto & (verba sunt Math. Paris) *si posset fieri sine fratrum scandalo* aboleretur, sed vt etiam oppositum illi scriptum Academiæ Parisiensis, *de periculis nouissimorum temporum*, flammis iisdem tamquam in expiationem corrumperetur: cui tandem etiam ipsius Guilielmi de sancto amore, & sociorum, qui dogma nefarium impugnauerant, exilio, gemētibus bonis omnibus, parentatum, Platina librũ exustũ tradit spectante Curiâ Romanâ. Verùm ea res clàm, an his talibus arbitris gesta sit, plumâ haud refert. Accidère hæc circa annũ CIↃ CCLIV. vix integræ pubertatis spacio ante consecratam nostram Diuam, ac ne vix quidem. Attamen *in oculis plurium gesta, testibus firmata sunt, sæpè Magistratuũ signis*. Verũ enimuerò Lipsi, ne istos quidem oculatos tuos testes oculis tute tuis vsurpasti, aut interrogasti; sed quâ fide actis insperserant mystæ, eâdem tradidisti & nobis. Saltē dicere posses, quod tuus Auctor de miraculis ab Imperatore Vespasiano in oculis pluriũ perpetratis, *eos qui interfuere, nunc quoque memorare, post quàm nullum mendacio precium*. Fuit enim apud tuos testes, & est etiamnũ pretium apud successores insanùm grande. Imperator Hadrianus in re graui, sed non perinde graui, vt hæc ista, rescripsit, *Testibus se, non testimoniis crediturum*. Idem mihi hìc faciundum statuo, memor mediæ illius ætatis maiores, religiosiores fuisse in comminiscendis piè, aut dissimulandis cautè fraudibus, quàm in propagandâ ed posteros rei veritate. Quàm multos putas Iohannē de Vincentiâ socios & tũ & postea habuisse, earundē fabularũ, sed diligentiores peritioresque actores, quorũ nunc somnia pro Oraculis adorantur? Quàm multorum parum prosperè tētatos dolos cura peruigil sacri gregis correxit, aut suppressit? Annon nostra id ætas vidit, cum in aliis sæpè, tum verò in condemnatione Aurelianenium quos diximus Monachorum, cuius executio intercessione Pontificum auersa, & fracta in eorum gratiam legum iudiciorumque veneranda potestas? Itaque quod de Medicis dictum est, cadauera interemptorum ab iis terrâ condi, seruatorum naturâ vel casu corpora extare salutiferæ artis haud dubia monumenta:

Tacit. hist. lib. 4.

L. 3. * 2. & 3. D. de test.

Sledan. l. 9.

ta: quodque de naufragiis Dionysius cauillabatur haud inscitè, eorum donaria in templis Deorum conspici, qui enatassent, submersorum vota cum ipsis, fluctibus obruta iacêre: id his miraculorum scriptoribus non ineptè adcommodes, qui quæ successum habuere fraudes, eas prædicant, &

—— Iactant miracula dictis,

persuadentique haut ægrè, *———— Vt omne*

Humanum genus est auidum nimis auricularum;

deprehensas silent ac dissimulant, aut, qui nunc sunt mores, fidèter negant, & parùm exactis rerum æstimatoribus sursum vorsum os sublinunt offuciis. Neque aliâ de causâ quæ temporibus illis religiosissimis, quorum nobis fidem auctoritatemque Lipsius venditat, credita est sine scrupulo Papissa Ioanna, hodie vindices pervicaciores nacta, fuisse iam desijt. Atque ad hunc modum, Eunũ quendam seruilis conditionis Syrum legimus, cum apud Ennenses in Siciliâ futura prædicens, casu interdum verà, plærumque falsa proderet; & hæc quidem à nemine arguerentur, illa à credulis cum applausu arriperentur, occasionem & initium bello seruili dedisse. Neque verò *Magistratuum signa* moror. Quid enim? quæ Delphos, aliisque Dæmonibus vel ex voto, vel ob res prosperè gestas, aut Remp. seruatam, restitutamue valetudinem frequentissimè missa anathemata, cerdonũ fuêre tantùm & mendicabulorum nomine inscripta? & non potiùs Crœsorum, Regum populorumque præpotentum, rectorum aut domitorum Orbis? An autem proinde credenda sint nobis, quæ de Rampsiniti ad inferos descensu, & cum Cerere aleæ lusu, totque allijs in Ægypto per progenies hominum CCCXLI. totidemque Pontifices & Reges admirandis traduntur, quòd ea testibus nitantur non de plebe, sed sacerdotibus, eorumque Actis & Regestis? Quid Magistratus dico aut Sacerdotes? En tibi testes omnibus Magistratibus, Sacerdotibus, Regibus, Imperatoribus mage maiores, Pontifices ter maximos Romanos. Dic age Lipsi, dic simpliciter, credisne Franciscum Petri Bernardonis F. in ecstasi cũ Christo commis-

Diodor. Sicul.

Herodot. in Euterp.

Libr. cõform. Franc. fol. 228.

sum

totidem ab eo plagis & stigmatibus compunctum iisdem in locis fuisse, quot ipse acceperat in cruce? Credis clauos ex pedũ manuumq; vtraque parte ita extitisse, vt remoueri à neutris possent, nihilo segnius incedẽte Francisco? Si credis, cur ambigis de numero clauorum, qui bus Christus adfixus cruci, ob dissensum in eâre Patrum? quid tum si dissentiant? nõ ea res gesta in eorum oculis. At Franciscus sensit, Alex. IV. & Greg. IX. PP. viderunt, testatique sunt bullis & actis publicis, *hocque tenendum mandarunt fidelibus & credendum, & sub nota* Hæresis *puniendum oppositum sapientẽ.* Adde testem non tantæ dignationis (Nam de *Dictatore* illo tuo Romano, *Nil oriturũ aliâs, nil ortũ tale fatemur*) attamẽ per se quoque sacrosanctum, & exceptione omni maiorem, Archiepiscopum Antonium. Quod si neque quaternos illos Francisci, neque sexcentos alios qui Mediolani, qui Romæ non vnâ in æde, qui Venetiis, quique alibi in Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ religiose seruantur clauos, nec iudicium de iis Paparum Sacerdotumque tanti fecisti, vt eos in cõiecturæ partẽ vocare dignareris (excipio vnum treuirensem in Notis memoratum) patere quæso Forcti Sanatique idẽ ius esse, & tam licere nobis impunè spernere ampullas Hallenses, quã tibi Bullas Romanas. Sed fortassis maior Lipsio fides, in his quæ Deam suã contingunt propiùs, quale illud est, quod verbis non perinde concinnis memoratur, vt sunt Lipsiana, *dare pondus idonea fumo,* sed iuxtà tamen fortasse veris, *B. Franciscus repræsentationem faciens Natiuitatis, Christum in vlnis habuit; & dum oraret virginem vt sibi consolationem de Iesu paruulo faceret; virgo ipsa pulcherrima astitit, & in brachiis B. Francisci à principio noctis vsque ad diem tenendum & osculandum præbuit*: lepidum hoc quod Franciscus meruit, sed salutarius quod Dominicus *per quẽ propitia virgo filium placlauit exurgentẽ à Patris dextrâ in irâ suâ, vt interficeret omnes peccatores terræ.* Ex quo loco tractã arbitror Lipsij illam exclamationẽ, *Deus Deus (mitissimam virginem hîc omitto) audiit*. quippe præter decôrum sexus fuisse, virginem non mitiorem Deo videri. Frustra igitur Christus hostia factus esset

Lib. 2. de Cruc. cap. 9. in f.

Eod. lib. Confor. f. 234.

Histor. par. 3. tit. 24. * 10.

Confor. f. 2.

Anton. ep. Flor. p. 3. tit. 25. Cap 7. in f.

pro nostris peccatis, nisi Monachus mediator proximior extitisset miseris mortalibus iam iam sui Seruatoris & Aduocati praeuaricatione ac furore perituris, & in cassum *Pontificem haberemus,*
Hebr.4. *qui adfici posset sensu infirmitatum nostrarum, tentatusque esset similiter in omnibus, absque peccato*; nisi flexibilior natura, & ingenium lenius Matri eius contigisset. Quâ de causâ videas interdum eam expugnari minis, saepiùs vinci blanditiis, praeter fas modumque, & quandoque tamen etiam, Numine fors suat suo laeso, non cedere flammato corde *Illi quae Diuum incedit Regina, Iouisque Et Soror & coniunx.* — nec Palladis dirae in Aiacem Oileum vindictae. Nam cum Zvvickius quidam temerè blasphe-
Cap.7. masset in suũ nasum, *Illa Hallis rapidum iaculata è moenibus igni Disiecit truncas inhonesto vulnere nares.*

Caesar.c.34 Vincent.li. Neque deest exemplum Marianae imaginis, quae non dubitarit os depalmare Moniali. Et quis reprehendat? Cùm minorum gẽtium Diuus Gingolphus vxorem propriam tam acriter vltus sit, *vt quae maritum suum perinde miracula facere, quemadmodum podicẽ*
Vincent libro 23. ca. 159 Fascic. temp. sub an.754. aetate 6. Cap.7 in f. *suum cantare, dixisset, cogeretur deinceps per totam vitam toties ex ano crepitum cum faetore emittere, quoties vocem ederet ex ore. En igitur vindicem etiam Diuam*, diceret Lipsius. *sed magis iuuat audire & videre adiutricem.* Et primùm minarum siue concussionis, & extortae per vim salutis exemplum insigne extat in B. Mariae depictâ à D. Lucâ imagine, quam in obsidione Constantinopolitanâ (dicam verbis & fide auctoris) *quidam ciuis iussit adferri, & ab omni-*
Vincent libro 23.cap. 147. *bus orationem fieri, hoc modo, Sancta Dei genitrix, quae toties nos liberasti, libera nos modò de inimicis filii tui, & si vis vt imaginem tuam non mergamus in mari merge illos; Cùm hac dixisset, ille secretò tenuit imaginem sub vndas, & statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum mersit*, Extat & alterũ eius quae in speciem mitior, nescio
Caesar.cap. 46. Io. Gonza. Mendi de Reg.Chi. l.2.c.4. an re, abstractum eidem Diuae de vlnis filium priùs non reddidit, quàm illa vicissim lupo cuidam restitutionem infantuli malo furto rapti, seriò imperasset. Precandi more Chinẽsibus familiari, qui talibus fermè fibris Diis suis litare cõsueuêre; nec ignoto

hodie

hodie vulgo rusticorũ, S. Vrbano passim inurbano isto ritu sacra facientiũ; sed & Vasconibus, qui ipsi crucifixo Christo. Quò magis ignoscendum festiuo Poëtæ, lasciuum hortuli seu siluulæ suæ custodẽ facetè affanti *Si defecerit hoc, ô ipse lignum es.* Bodin. l. 2. dæmon. c. 8

Iam verò sine vi metuque, sedulitate solâ & adsiduis officiis non minùs promptã opẽ siue expressit seu meruit *Beatrix* quædam, æditua in Monialiũ nescio quo Conuentu. Nam cũ sacerdotem adamatum secuta, primum in eius contubernio virginitatis naufragiũ fecisset, & iactâ tam turpi aleâ, totis deinde XV. annis publicè quæstum corpore fecisset; mitissima virgo, ne tam humanũ officium puellæ damno foret, néue fama eius, dum foris olenti in fornice prostat domi interea detrimenti quid caperet, toto illo tempore os humerosque Beatrici similis, absentis vices obiit, æditaamque gessit fortem fidamque; donec reduci tandem loco rursus cederet, atque ita seruaret si non rem, at fidem virginalem integram & illibatam, admonitâ tamen Beatrice quoniã *Diuortunt mores virgini longè ac lupa*, vt peccandi finem faceret, & veteris militiæ lassa atque exhausta, quietẽ porro coleret. Quid quod nescio cui alteri, quotidianũ *Aue Maria* pronũtiare solito, cũ exphrenesi laborãs casu sibimet linguã dẽtibus amputasset, nõ verita est mammas in remedium sugendas offerre? quodque militi suauiũ tetulit & Monachum deosculata perhibetur morientem, credo quod non ampliùs visuram se eum putaret. Cæsar. lib. 7. c. 35. specul. hist. p. 1. Cesar. c. 33 & 51.

Cetera de genere hoc, adeò sunt multa, loquaces Cæsarios lassare queãt.

Quãtula enim pars hæc quæ Hallẽsi Mariæ, his duobus tribusue sæculis, quibus vixit & res præclarè domi forisque gessit, adscribitur? etiã si opinẽre cũ Lipsio, *multa præterea alia patrata in illustribus quoq; personis esse, quæ æui superioris simplicitate aut neglectu nõ consignata scriptis fuerint*, (quamquam iuris ciuilis ratio huiusmodi in factis præsumptionẽ vix admittit, sed illam potius, *Clericorum auarissimum genus*, ad suum quæstum callidum fuisse, & nihil quod ad rem augendam faceret prætermisisse) sed his tamen omnib' computatis in vnum, quantula pars inquam Maria Hallensis, gl. in c. si pluribus. verb. maioris. extra de præb. li. 6. & in c. nonnulli de cler. non resid.

Hal'ensis, rudior, recentiorque & sine reliquiis, præ tot prisci sanguinis & patritii generis Mariis, quæ vultus colores que vel Angelis debent, vel B. Lucæ laboriosam Euangelii & Actorū Apostolicorum commentationem subinde his picturis interiungere, & calamo in penicillum mutato, oculos animumque recreare solito, quales multæ Romæ, plures alibi visuntur, & quarum nullus

Est numerus, neque enim numero comprendere refert.

Nisi quod properantem reuocat Florentina illa tanto accurrentium salutantiumque ex toto orbe studio nota, & à Fr. Leādro Alberto celebrata, vt sese facilè Dianæ Ephesinæ adæquasse credatur. Et quæ inter omnes eminet, caputque attollit, *velut interignes Luna minores*, Lauretana, cuius cubiculum in quo nata, educata, ab Angelo salutata, à B. Luca depicta fuit, tenues per auras terque quaterque baiulatum, tandem vbi nunc adorandi causâ aditur, consedit, si modò fides habenda somnio minimè suspecto ciuis cuiusdam Recanatensis viri boni, & fidę XVI. legatorum relationi, qui in re præsenti deprehenderunt fundamentorum vestigia (quæ nulla vsquam gentium superfuerant ab annis fermè mille) cum parietum modo examussim quadrare. Iam ceterorum leuioris notæ Diuorum, quorum imagines non tantum templa, sed fora, compita, vicos & angiportus obsederunt, faciuntque vt iure quis illud Petronianum vsurpet, *Nostram regionem tam præsentibus plenam esse numinibus, vt facilius sit Deum quàm hominem inuenire*; & à sexcentis annis miraculorū magnitudine Mundum, multitudine Democriti atomos superauerunt, quid dicam? nisi procliuius esse stellarum, aut arenæ Libycæ rationem inire, ac

Nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus,

quàm vel cogitatione complecti, quoties si non renascentib. ex alluo terræ seu Tartari obstetricatæ, vel pendentibus de furcâ submersisue mari auxiliatæ, at sermonem tamen aliquem vocemq; aut risum, vel lacrymas, vel sudorem, vel ventris crepitum, orisue ructum enixæ fuerint. Quæ omnia si Lipsius in sinum placidè demittere, & concoquere probè potest, causam non dicam, quin

Hal-

In Hetruria.

Leand. Alb. in Piceno.

Hallenses fabulas iure, pictæ tectorio linguæ incrustasse, insipidissimas monachorum insulsissimorũ nugas hinc stili calamistris, hinc numerorum lenociniis, veluti adsperso papauere & sesamo condiisse rectè probeque dicatur. Nerumenimuerò vnus etiam scrupulus restat eximendus, cur Lipsio fatẽte, hoc vltimo nostroque sæculo, in fidis illis Hallensibus Regestis Actisque fermè silentium? *ob incuriam arbitratur aut omissionem eorum qui Actis præfuerunt, siue etiam satietas eos cepit scribendi aut colligendi, cùm viderẽt Diuæ gloriam satis propagatam testatamque esse.* Atqui Lipsi, hoc illud est æuum, in quo *tam multos Diuorum honori cultuique obstrigillare, tot nouellarum opinionum sectas consensu & velut de compacto in vnam Diuam virginem incurrere & decus omne eius ire imminutum dixisti.* Quæ igitur illa tanta Actuariorum, & qui illis præsunt Magistratuum ingrata incuria soporque quem tantũ tam bene meriti Numinis periculum nõ excusserit? aut quæ illa satietas gloriæ non iam propagatæ satis, sed in arctum compulsæ, & acriter eheu nimis oppugnatæ? vide ne non tam voluntas feruorque, quam fingendi opportunitas colorque defuerit; nec tam gloriæ satietas, quàm ignominiæ metus viros bonos vt fatuari desinerent impulerit, eâ tempestate, quâ litteris, optimarumque artium studiis renascentibus *Et pueri nasum Rhinocerotis habent*; suntque omnia plena curiosulorum, qui captatorum manus improbiùs obseruitant, eosque nõ raro excipiunt insidiis, ut Monachis illis Aurelianis abemunctæ naris prætore cõtigit, & esuritori Ioanni Scoto, cum impuberẽ, sed singulari oris elegãtia filiam, cereis circa accensis, pro virgine Maria adorandam in altari statuisset. Nã vt illa quondam clara per gentes oracula, quæ in stuporem dederant Mundum, postquam Christus tamquam illustre veri Solis iubar generi humano illuxit, obscurata sunt, &

—— muto Parnassus hiatu

Conticuit: sic quæ in caligine illa & velut nocte illuni, quæ fuit ante reuelatum Antichristum, frequentissimè occurrere solita spectra & laruæ, eodem Christo iam per gratiam & Euangelii sui lucem ad nos reduce, non infrequentes tantum, sed planè fugitiuæ

[Margin: Cap. 33. in pr. / cap. 5. / Buchan. lib. 14.]

uæ & emansores esse cœpére;& quibus quondam tam in promptu fuit mortuos suscitare, quàm canibus exta comedere, ii hodie ne Muscam quidem conentur eximere lethæis vinculis. Atqui si verum est, *Diuorum honorem cultumque hoc magis extra ordinem asseri, alleuari, illustrari, quò plures sunt qui obstrigillant, abiiciunt & obtenebrant, & B. imprimis virginis decus tueri & augeri quotidie:* certè hoc est, hoc illud est tempus, quo non æquari superioris temporis palmæ, sed superari modis infinitis debuere. Hoc Lipsi fit? cur tu igitur tam modestè, tam timidè, *Neque enim desiiße miracula hac ætas dicit?* itane desiisse? aucta oportuit in immensum. Tamen vbi sunt qui mortuos excitant? non dico apud Iaponas aut Indos (impunè ad nos inde perscribitur, quidquid in chartam venit: ac præterea nihil illa ad Diuorum, quos ibi nemo oppugnat, sed tantũmodò ad Christi nomen propagandum valent, si rectè distinctionem tuam percepi) sed hîc, hîc Rhodi. Cur non prodeunt, qui re ipsâ doceant, quotquot illa pacata & mortuorum vel imaginũ nutui parentia tempora protulisse finguntur, magna miraque, nugas esse & tyrocinia puerorum, præ hodiernis & in hoc conflictus feruore editis pugnis & facinoribus miraculorum? Quod si fit non dubito, cum olim non singulos, sed quadragenos, quinquagenos, denique centenos superas in auras retractos è regionibus Acherunticis legamus; tot nos hodie hominum rediuiuorum millia breui visuros, vnde nouus orbis nouis coloniis repleri, & farciri ingentes ab Hispanis illatæ illis locis solitudinum lacunæ facilè possint.

Antonin p. 3. tit. 24. c. 2. * 11.

P. Nempe huc tandem oratio tua redit, Facta negas, & quidquid de his varii prodidêre auctores, naso suspendis adunco: quod cui non licet derisori aut scurræ? Verũ id cùm in prophanis scriptoribus iniquum, tùm in sacris impium est & detestandum.

C. At verò assentiri temerè, & cum cœcis ductoribus labi atque errare, tam alibi turpe, quàm hîc funestum est & deplorandum. Annon diffidendi cauendique auctor (Christum mitto, & Apostolum, qui Filium perditionis apparriturum præmonuit, ex efficacitate Satanæ, cum omni potentiâ & signis ac prodigiis Mẽdacibus

2. Thessal. 2. 22.

dacibus (ipse Lipsius) qui palàm profitetur, *vana multa eiusmodi famæ aut scriptis prodita esse: & versis in Religionem animis non pauca visa creditaque prodigia, quæ non erant.* Planè multa, & propterea Augustinus, *Nemo vobis fabulas vendat, & Pontius fecit miraculū, & Donatus orauit, & Deus respondit ei de cœlo. Primò aut falluntur, aut fallunt.* & Iustinus Martyr, *Remoueantur ista vel* Figmenta mēdacium *hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quæ dicuntur; aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt magis cauere debemus.* &c. Sed mendacia certè plæraque, præsertim quæ imaginibus attribuuntur, de quibus Carolus M. *Hoc etiam illis ad suum errorem adstruendum familiare est, quod per quasdam Imagines nonnulla miracula facta fuisse perhibent, quod tamen nec veteris, nec noui testamenti pagina demonstrat.* & mox, *vnde signa & miracula, quæ illi dicunt Imaginibus apparuisse, si non apparuerunt (sicut & nulla authentica hoc tradit historia) mendacium est.* Sed non viderat Carolus M, Lipsij commentationem & authenticam de Hallensi statuâ historiam, procul dubio alio orationis genere alioqui vsurus. Fortassis & Canus, qui nimis ingenuè aperteque, *Negare,* inquit, *non possumus, viros aliquando grauissimos, in Diuorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quâ in re vt mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt; quod vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare* &c. *& auctoribus nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse, ea scribere, quæ vulgo vera haberentur* &c. *Quæ ego eadem de Beda atque Gregorio iure fortasse ac verè dicere possum.* Et ego verissimè de Lipsio, ne se seiunctum auulsumque queratur, à sacrato illo capite sacrorū, & imperatore suæ militiæ, Pontifice Romano.

In Ioan. tract. 13.

In quæst. qu. 100.

De imagin. lib. 3. c. 25.

Lib. 11. c. 6.

Neque tamen necesse habeo præfractè omnia infitiari, quæ ipse ait: sed in uniuersum ea triplicis generis esse statuo. Primum genus facio eorum, quæ possunt esse vera, sed non sunt miracula, nec quidquam in se habent vel prodigiosum, vel præternaturale, cuiusmodi sunt illa, quæ capite potissimum VI. VII. IX. XIII. XXII. XXIV. XXVII. XXVIII. XXX. XXXI. & XXXIII. referun-

 tur.

Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium.

Seruati constiterant in litore nautæ? Vota soluebant.

Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Quid diuinissimus Poetarum?

Dii patrii indigetes, & Romule, Vestaque mater
Quæ Thuscum Tiberim, & Romana palatia seruas. Petron.

Ipse Senatus, recti, bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solitus. Similes denique, ne quid dissimulē, Lipsio, qui rarissimas ingenii animique dotes, largissimâ Dei manu in se collatas, veluti fasces supremi in litteris honoris atque imperii, submittit Idolo Hallēsi, & talēti sui diuinū munus defodit ad eius arā.

Alterum genus magna & mira complectitur, sed non vera, in quā classem adscribo cap. 10. 16. 17. 18. 20. 21. 26. & alia fortassis nonnulla eademque illustrare libet exemplo gemino germano Beli Babylonii, quotidiana cibaria, si sacerdotibus credas, absumentis: tum Iohannis de Vincentiâ suprà nobis & nunc iterum honoris causâ nominati, qui XVIII. errantes in campis Elysiis animas, in corpora sua reuolare iussit, vt constitit ex testimonio sacro symmystarum. Nec procul abludit factum Dominicanorum Bernæ, & Aureleiis Franciscanorum, itemque Antonii cuiusdam Picentis Eremitæ, qui vniuersis persuaserat, sese diebus totis XL. ab omni penitus cibo potuque abstinere, cum interim cerei ac cingulum fidi cōdi promi essent occultæ annonæ & cibariorum. Panorm. lib. 2. de dict. & fact. Alph.

Restat tertium genus, cui res cap. 8. 11. 12. 14. 19. 23. 25. 32. cōmemoratas attribuo. Hæ miracula dici possunt, quia talia sensibus nostris offeruntur, nec vt superiora semper ab hominibus, conficta, sed à malis & impuris Dæmonibus sæpè exhibita reperiuntur: vt plurimū quidē præstigiis & ludibriis, non tamē nunquam etiā re & facto. Nam quid est horum, quod non à malo Genio vel assimilari, vel confici etiā suapte arte & industriâ haud ægrè potuerit? Tantæ ne molis opus Falconem fugitiuum adsequi & retrahere quasi obtorto collo sub ipsum intorti reste colli momentum? aut abscedere quasi coactum ab eo in quem ob id

ipsum sese insinuarit? cœcitatem, vel debilitatem, aut spasmum, aut insaniam temporariã immittere, quam mox sanare videatur? puero vni vel alteri refosso colorẽ motumque mimicum accommodare & ostentare pro viuo ad exigui temporis vsuram, ac tantisper dum superstitionẽ spectantibus incusserit, & idololatriã firmarit? osse ferrum, tamquàm nouaculâ cotem dissecare? Annon his maiora & mirabiliora edidit?

Sæpè dedit sedes totas mutantibus vrbes,
Vt Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Vt Salaminiacum meminit mare: sustulit iras
Telluris sterilis, monstrato fine: resoluit
Aëra tabificum,

Accitus Epidauro sub nomine Aesculapii, vrbẽ Romam diuturnâ pestilentiâ creditus est liberasse: rursusque non ita dudum, Pontifice Hadriano VI. interuentu sacrificii ethnico ritu, sed publicè à Demetrio ibi in Theatro peracti. qui quidem id impunè tulit, non euasurus si purum Christi Euangelium piasque ad unũ Deum preces eo loci sacrificare conaretur. Sed & aliàs Rempubl periculis imminentibus non rarò Dæmonum nutu liberatam testis est Lactantius, *quod & pericula responsis denunciarint. & sacrificiis placati auerterint.* Et apud Pontanum legimus, Montis Draconis oppidanis ex aquæ penuriâ necessitati vltimæ adactis, ac iã iam sese dedituris, peracto execrabili eiusmodi sacrificio imbres pluuiasque prodigiosas derepẽte extitisse, & salutem obsessis insperatam attulisse. Non nego *omnia ista fallacias esse Dæmonũ*, ut ibidem Lactantius addit, sed his tamen fit quod necesse est, *vt summam sibi pariant venerationem, & hinc*, inquit, *templa deuouentur & Nouæ imagines cõsecrantur & mactantur greges hostiarum.* Quid igitur mirum si & Hallis Noua imago consecrata, hostiisque assiduis culta fuit, tot miraculis in eius nomine vel à Diabolo fallaciter administratis, vel ab hominibus mendaciter confictis, tandemque à miraculo Musarum Lipsio admirando opere decantatis & supra nubes elatis? *Mira hoc effecerunt, quæ crebra & vel adsidua hic euenerunt eueniuntque*, si me non fallit imago.

[Margin notes: Iouius hist. lib. 21 — Inst. diui. lib. 2. c. 17. — Lib. 5. Belg Neap. — d. cap. 27. — Virg. Hall. c. 4. in f.]

His

His tot falsis vanisque miraculis, alterius cuiusdã generis tria obseruauit Lipsius notauitque, nescio ridendane an admiranda magis, nisi quod consideranti mihi, vtrumque excutiunt, bis terque magno cum risu stupenti. Nam quod primo loco commemorat, *se cum Hallas venit, & calidè templum adiit, ac preces cœpit fundere, sensisse tepido quodam gaudio, & mixtâ veneratione corpus animũq. percelli; & palàm in loco numẽ esse, quod vel ignaris mẽtibus se circũfundat; Etenim sacellũ ornatũ à votiuis tabulis habere religionẽ à se, eàque nescio quomodo ingredientes tangere*: quis nescit præter præconceptam animo falsi numinis opinionem, ipsam per se opacæ ædis obscuritatem, & circumfusarum imaginum partim adoratarvm, partim adorantium adspectũ, tristeque silentium, superstitiosis hominibus, *ignarisque mentibus*, religionis quendam horribilem sensum metumque incutere solere? Ipsa per se, ut ait Augustinus, *mortalium formæ similitudo, & membrorum imitata compago, ducit & affectu quodam infirmo rapit infirma corda*. Itaque caliginosis lucis, auiisq; & solis locis Dæmones fermè delectantur, quorũ cap. 1. cap. 4. in f. In Psa. 113

—— numen ab æthere pressum
Dignatur cæcas inclusum habitare cauernas: adeò vt
Limine terrifico metuat consistere Phœbus. vnde &
Arboribus suus horror inest: tum plurima nigris
Fontibus vnda cadit, simulachraque mœsta Deorum.
Ipse situs, putrique facit iam robore pallor
Attonitos. ——

Non sic Deus noster, qui se Christianis hodie exhibet adorandum non in monte Samaritano, neque Hierosolymis, multoque minus in Hallẽsi sacello, similibusue angulis seductis, sed quouis loco, aut saltim non alio certiore, quã in suo cuiusuis secreto, idque spiritu & veritate. Nihilque absurdius, & homine Christiano indignius, quã quemquam tam vecordem reperiri, qui non domi, nec in foro campòue, vbi *Iouis sunt omnia plena*, sed ibi potissimùm, vbi Iohan. c. 4. vers. 21. & 23. 1. Timot. 2 vers. 8

—— Simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesve locutæ,

religioso isto stupore percellatur. Post hæc concursum prædicat,

nus sanctarum reliquiarũ refici & augeri mille modis cõsueuère.

Tandem dum *in ipsâ primum statuâ miri aliquid videri affirmat*, Cap.6.
quod haud magna (*sesquipedalis circiter*) *& è puro nec medicato ligno, tot secula* (ab anno scilicet cIↄ cc Lxvij.) *perseuerat immunis ab omni exitiali peste*: annon risum captare, & præuaricari causæ bonæ Deæ videtur? Quid ais? Columnas illas, & tigna trabesque quernas, huius quam cernis obsoletæ & ruentis alicubi casulæ, quæ vetustate in ferri duritiem obriguère, censesne paucis annis Hallẽsi statuâ antiquiores? nec tamẽ medicatas credes facilè, quas vix dolabrâ dignatus faber. At saltim ligni genus expressisset accuratus scriptor. Nã Plinio auctore, sine miraculo *cariem vetustatẽq; nõ sentiũt cupressus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, iuniperus, oleaster, & olea, & ex reliquis tardissimè larix, robur, suber, castanea, iuglans.* Quin lib.16.c.40.
& si competant Solis Lunaque coitus, in nouissimum diem Bruma, illa æterna est materies. Sed ignoscendũ opinor homini veteri, id est, Eod.ca.39.
anili cœcâq; Religione tacto, si ignorare maluit quo ex luto Deæ suæ præcordia efficta fuerint, quam explorando si forte —*sacratum cuspide robur Ladere.* Faciléq; crediderim, ne eò quidẽ improbulâ curiositate penetrasse, vt liquido sciret, medicatum istud ab initio an purum lignum fuerit: nisi cõmodùm succurrant rursùm testes ex prisco illo & religioso æuo, qui nec viderint Diuam inungi, nec inunctam Lipsio revelarint. Attamen *immunis etiam ab incendiis.* Magnum istud memoratu, & prodigiosum in Statuâ ligneâ, si quemadmodum illa Seruii Tullii Rom. regis in templo Fortunæ, concrematis omnibus circa se aliis, sola ignis violẽtiam cõtemsit, sic ipsa in morẽ Salamandræ, aut (ne fabulas fabulis cumulemus) trium Danielis sociorum, flãmas illæsa tolerasset. At cũ Dionys. Halic. antiq.R.lib.4
validis vndique lateritiis muris, veluti Danaë quædã robustâ turri cincta & circũmœnita proponatur; hac opinor ratione vel palea ignẽ secura despexerit, nec corripi magis à flãmis possit, quã mergi

Excelsa pendens in cruce Amannus aquis.

At verò non muri, sed ipsa DIVA ET SE *& templum suũ, omni vicino foro, & iuxta ipsam ædem ædibus ardẽtibus defendit.* Fac ita esse: minùs aliquantũ fecit quàm *Diana Segestana*, quæ Cicerone

d act. in Verr. 6. iterum narrante, *duas vrbes in quibus locata, captas incensasq́, vidit, & bis ex duorum bellorum flammâ ferroq́ servata est:* minus etiam
Lact. lib. 2. cap. 8. quàm Ceres Milesia, quæ captâ ab Alexandro ciuitate, militum omniũ ad sese spoliandã irrũpẽtiũ oculos, repẽtino ignis obiecto fulgore extinxit. Quãtò enim hoc maius, quàm vnũ inter tot hostes, linguâ forsan suat quàm manu prõptiorẽ, naso emungere, aut mulcare mento, ceteris minora locutis, maiora fortè facturis, illæsis? Sed de tẽplo minùs mirũ est stetisse, ædibus circa ardẽtibus, quoniã has probabile est magis inter se cõtiguas, negligẽtiusquẽ tectas, & ex materiâ magis cõbustibili constructas, fortè & minore concursu studioque defensas esse. Illud autem maximè mirum stupendũque, quomodo IPSa SE DIVA tutata dicatur. Nã si ipsa illa Diua, Christi Domini & Redemptoris beata genitrix intelligitur, quid opus ei fuit ut SE defenderet, quæ non magis flagrare potuit, quàm naso curtari, aut abduci captiua? sin verò DIVAM SE, hoc est, statuam lignũ servasse, hoc Lipsio placet: tũ verò iure metuisse fateor, ne quod Romanorum Diis penatibus sub Nerone accidit, —— *daret ampla ruinam*
Rufin. lib. 2. hist. Ecclesi. c. 26. *Vulcano superante DEA* —— atque ita illud ipsum pateretur à Chaldæorũ Deo, quod hic ab Aegyptiorũ; & sicut ille in carbones, sic ista in cineres fumũque solueretur. Apage mihi talia Tutelaria numina, quibus ipsis tutelâ & defensione est opus.

Quæ cùm ita sint, & cũ ex his omnibus appareat, quæcunque Lipsius de Hallẽsi statua prodidit, vel eiusmodi esse, ut nihil iis sit cũ miraculorũ naturâ commune; vel iis testimoniis niti, quibus in re tanti momenti minimè tutũ sit fidem temerè accommodare; vel denique auctorũ habere potuisse ipsum Diabolũ: cumque ab his omnibus Christus nos præmonuerit sollicitè, qui (vt iterùm verbis Tertulliani vtar) *edicens multos venturos, signa facturos,*
Con Marc. lib. 3. c. 3. *& virtutes magnas edituros, auersionẽ etiam electorum, nec ideò tamen admittendos, temerariam signorum & virtutum fidem ostendit, vt etiã apud Pseudoprophetas facilimam*: Operæpretiũ est etiam atque etiã videre, quibus argumentis fretus Lipsius decantata illa sua miracula pro veris, fidis, ac prorsus diuinis obtrudere satagat; & qui

Christo

Christo auscultantes, cautionem sibi adhibēdā statuunt, eos protinus impietatis præfidenter arcessat. Nam etsi non disputator, sed narrator videri vult: ille tamen huic ex professo disputationi totū caput quintum Operis impendit, atque in id contulit, nō minus, vt mea fert opinio, occultæ fraudis & fuci, quàm in aliis solet ingenuæ simplicitatis & artis. Ait, *Non certius diuinitatis argumentum esse, quàm à miraculis.* Credo argumentum esse, & magnum, nescio an maximum omnium. Anne enim maius quàm Mundi opificium & regimen, ipse naturæ ordo? vix videatur ex ipsius Lipsii egregiâ sanè, sed huic dissimili dissertatione. Sed tamen quid ad rem, cúm apertè dicat, sua quæ commemorat miracula non eò ducere, sed pertinere ad Diuos? Ac mihi quidem constat, ipsum Christum, cùm ea opera, eoque numero edidisset, vnde satis liquidó inferre posset, sese indubitatò Deum eternum, & promissum orbi Messiam esse; Discipulos tamen suos vix vmquàm ad illa, ad Moysis autē Prophetarumque testimonia semper reuocasse. Nimirum nobis tam falli facilibus, ambigua fermè miraculorum fides: illa sola solida, & quæ nec falli possint nec fallere. Iustinus Martyr, *Ipse Dominus Iesus cùm resurrexisset à mortuis, & Discipulorum oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret; ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis legis & Psalmorum & Prophetarū confirmandos esse iudicauit, ostendens ea de se impleta, quæ fuerant tanto antè tempore prædicta.* Præterea *quæ Deus ipse homo factus, vt talē se adsereret atque ostenderet, palā exhibuit & vulgauit*, olim vtilia fuere, *vt attestarentur*, ait Augustinus, *huic fidei, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cælū adscendisse cum carne.* De quâ quia non ambigitur hodie inter Christianos, ob id *non opus nunc* (Lipsium rursus appello testem) *Christo asserendo prodigiis*: adeoque multò verissimū hodie est, quod olim Chrysostomus, *Nunc signorum operatio omninò leuata est; magis autē apud eos inuenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta.* Itēque, *Adest fides iustificans; sed ea quæ miraculorum dicitur, iam desiit.* Iterum Augustinus, *Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit nec miracula illa in*

Ad Belg. cent. 2. ep. 26.

In quæst. qu. 100.

Lip. d. c 5.

De Ciuit. Dei lib. 22. c. 9. in pr.

In Matth. hom. 49.

In 17. cap. Matth.

De ver. relig. c. 25.

nostra tēpora durare permissa sint: ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nam sicut in ferēdâ lege maxima & splendidissima miracula interuenêre in mōte Sina ac deserto, quæ eâdē deindè perlatâ, in terrâ promissâ desiuêre; sic miracula nunc quoque sublata sunt, postquam Euāgelium diffusum est per Orbē terrarū. Quare superiori illi ac primæ Lipsii propositioni, oppone hanc Tertulliani, *Non fuit, inquis ò Marcion, ordo ille necessarius, quia statim se & filium & missum, & Dei Christum rebus ipsis esset probaturus, per* Documenta virtutum. *at ego negabo solùm hanc illi speciem ad testimonii competiisse,* Quam & ipse postmodum exauctorauit. Videbitque Lipsius quam appositè igitur in præfatione ad Lectorem, Augustini hanc sententiā citarit, *Miracula esse introitus ad fidem*: quæ neque huic tempori conuenit. nec competit in eos qui Christo per fidem inserti, eius Euangelio veris pridem miraculis sancito vnicè adhærent.

Con Marc. lib.3.c.3.

Attamen videamus quas tandem notas veluti scutum prætendat, portentosis improborū hominum cōmentis, an malorum spirituum fallaciis, vt eas videatur à falsis, si Diis placet, & suppositítiis miraculis seiungere. *Triplex* inquit *nota est, quâ vera à vanis miraculis differunt, Magnitudo, Finis Fides.* De *Fine* posteriùs agetur, quoniam is notam nobis suppeditabit haud improbā: secus ac reliquæ duæ, quæ ambæ ambiguæ, & oppidò quàm periculosæ. Nam primū *Magnitudo* non semper in diuinis miraculis maxima, vt in vellere Gedeonis, quod nullo negotio Diabolus ipse præstiterit vel in rore medio siccum, vel in sicco roscidū: & rectè Augustinus, *Non magnitudine operum miracula constare. Maius quippe alioquin esse opus, vniuersam hanc machinam orbis gubernare, quàm lumen, quo destituitur, cæco restituere.* Cōtraque in Diabolicis Magnitudo sæpè sese ingens exerit & ostentat. Quid enim admirabilius, & in quo vis ac maiestas Dei clariùs emineat, quàm notio prædictioque futurorum? Diabolus quoties fecit? & quàm exactè sæpè & minutatim. Samuelem mortuū reduxit ab inferis, Si verò vt videtur haud dubiè Lipsio, hoc ipsum illustre erit Magni ... Diaboli

Iudic.c.6 in f.

In Ioan. tract. 24.

1. Samuel. 28.

Diabolici miraculi exemplum: sin simulat[illegible] quantò etiam insignius, prænunciasse pugnam, diem, euentum, & Regium fatum? Sanè miracula & fieri & præsignificari à Somniatoribus & Pseudo prophetis posse, id que Deum permittere tẽtandis hominibus, & explorãdo constanti eorum in se amori, testatum dilucidè habemus in sacris literis. Et Antichristum editurum magna & memorabilia signa ipse nobis Christus auctor; neque defore qui Dæmonia in suo nomine eiicerent, quos ipse tamen non sit agniturus. Quò facit Tertullianus, *Adiiciet præterea alia multa de auctoritate cuiuscunque hæretici, illos maximè doctrinæ suæ fidẽ confirmasse* Mortuos suscitasse, debiles reformasse, *futura significasse, vt meritò Apostoli crederentur: quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.* & Iustinus Martyr, *Audiant etiam quæ narrent pagani de Diis & templis suis mirabiliter vel* FACTA *vel* VISA. Lactantius quoque, *Edunt sæpè prodigia* (Dæmones) *quibus obstupefacti homines* Fidem Commodent Simulacris *diuinitatis ac numinis* D. Hieronymus, *Obseruandum etiam, quod virtutes dicuntur operari in his qui non habent Euangelij veritatẽ, sicut in illis qui Dominũ non sequentes, signa faciebant.* Vnde & Chrysostomus non temerè admonet, *cauenda nobis esse prodigia non tantum* FALSA, *sed etiam ad* Falsum *inducentia:* & Augustinus, *Solet ambigi*, inquit, *vtrum propterea dicta sint signa & prodigia Mendacij, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, vt quod non facit facere videatur: an quia illa ipsa etiam si erunt vera prodigia ad mendacium pertrahent credituros, nõ ea potuisse nisi diuinitus fieri virtutem Diaboli nescientes maximè quando tantam quantam numquam habuit, accipiet potestatem.* Ex quibus omnibus locis falsitatis apertæ conuincitur id quod Lipsius iactat, *Vniuersè in vanis miraculis, fallax aliquid, lusorium & illusoriũ & in exploratione leue reperiendum subesse.* Nam tametsi semper Diabolus in illis ludat, illudat, fallat, denique ad falsum & mendaciũ inducat; non semper tamen falsa, aut in exploratione leuia, sed sæpenumerò & vera sunt, & ingentia quæ exhibet. Neque *tenues opellas Geniorum esse, aut ex comparatione diuinorum operũ peruidendas*

Deuteron. c. 13. in pr.

Matth. c. 24. ver. 24. Math. 7. 22

De præscript. c. 44.

d. quæst. 100.

lib. 2. c. 17.

In epist. ad Gal. c. 3.

Ad 2. Thess. cap. 2.

De ciuitat. Dei lib. 20. cap. 19. circa fin.

rum Geniorum facinora eleuat, Hallensia supra verum effert & exaggerat. quia sicut illa Vana, sic ista Ficta scimus, vtraque autē Falsa: tamque promptum est atque obuium Monacho vel maxima mentiri quàm Dæmonio magna simulare. Ergo à magnitudine nec differunt semper quæ Deo faciente, ab his quæ Permittente fiunt, hoc est, Diuina & fida, à Diabolicis & fallacibus miraculis; nec vbi differunt, semper internoscuntur.

Sequitur altera notæ ambiguæ nota, *Fides*. verè enim ista mihi ambigua, & ab auctore, contra quàm solet cum seriò candideque agit, nimium quàm perplexè tradita. Enimuerò quid hîc sibi vult Lipsius? vera & diuina esse miracula, quæ fidem inueniunt? an quæ merentur? Si illud: quæ non præstigiæ tales? aut quæ non Monachorum deliramenta & stolidissima somnia? quæ fidem reperêre apud plęrosque maiorem, quàm diuinę literæ, & sacrum Christi Euangelium. Non ibo ad vetera, cœcosque gentiles. Nostri nuper Reges, Imperatores, Pontifices diabolicis *Magdalenæ Cruciæ* præstigiis tantam fidem habuerunt, vt se certatim eius precibus commendarent: crederentque inter Sanctas Sanctissimam plus minus annis triginta, crediture perpetuò, ni ipsa prius fallere desiisset, quàm isti falli. Referre pudet, quò præclara illa fides processerit, vtque Regina filium Philippum non nisi iis fasciis, quas illa sacrasset suis manibus, excipi & inuolui voluerit. Si hoc: vnde id ipsum sciam? nam nota hæc iuxtà mihi ignota. At iam dicet, *Omnia fidem habent, siue libris sacris tradita, qui non magis, quàm eorum auctor (is Deus est) mentiuntur.* Hactenus probè, sed parum appositè ad institutum: quia non de his, sed toto cælo diuersis scriptis agitur, & quoniam illa miracula diuinitatem adstruunt, quo nobis hodie, dicet Lipsius, haud opus. Quid porrò? *Sine bonis testibus arbitrisque affirmata.* Istud iam falsum: non solùm quia mēdax est omne humanum genus, multique boni viri iudicantur qui non sunt, & *frontis nulla fides*: sed etiam qui boni reuera sunt perpauci, vel suâ simplicitate, vel alienâ fraude, facilimè in errorum pernitiosos laqueos ruunt, secumque vnà præcipitant alios.

Cassiodo- Ren. acroam. Benzo in hist. nou. orb. lib. 3. cap. 16.

Esai. 9. 17

lios. Nam testibus creditur, vbi sensibus fides sua constat,

Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa fit omnis:

Hîc vbi luduntur falluntúrque præstigiis,

Cernere vti videantur eos audireque coram,

Morte obitâ quorum tellus amplectitur ossa,

contra est. Nedum vt nos in re tanti momenti testibus Lipsianis, seu testimoniis potiùs credamus, multis modis, ut vidimus antè, suspectis ignorātiâ sæculi, & propriâ improbitate, ad hæc quæstu, & licentiâ corruptis, ac prorsus in hac re intestabilibus. Sequitur, *fidi etiam perfectique operis, nec retractantur* EX FACILI *aut mutant*. De hac re dictū paullò suprà; Sed si hæc nota proba & (sicuti par est) perpetua: quorsum illa verba. EX FACILI? itemque illa altera, SÆPE *fortem non rem habent*? Aut enim semper designare discrimen debent, aut non sunt notæ certæ fidæque, sed infidæ & fallaces. Quod si Lipsius fidem hanc suam non in persuasione hominum, sed in re ipsâ considerat, & ea vera vocat miracula, quæ verè fiunt: petitio principii hæc erit, quâ vera dicentur quæ fidem, hoc est, veritatem continebunt. Attamē alio, sed à Lipsii longè alieno sensu, non dubitem, quin fide diiudicari miracula facilè possint. Nā hæc in verbo DEI firmiter fundata, ad eius veritatem & doctrinam miracula exigit & adcommodat, non ad hæc illam. Atque ita Iustinus Martyr, *vnde cognoscetur nostra miracula gentilibus præstabiliora, quamuis vtrimque euentus respondeat? R. Ex fide & cultu veri* DEI. Verùm hęc nota propiùs accedit ad alteram & mediā Lipsianam, puta *Finem*, de qua nunc agendum. Est enim *hic character* (cum Lipsio dico sentioque) *non fallax, quod vera miracula ad verum & vnum* Deum *ducunt, falsa ad falsos & multos. hæc in ludibrium aut noxam fiunt; illa in serium fructū aut salutem.* Verissima certissimaque nota, & quæ auctorē laudat ipsúm Deum. sic enim ille apud Moysem, *Si surrexerit in medio tui Prophetes aut Somniator, qui somniū se vidisse dicat, & prædixerit signum aliquod atque portentum & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, veni & sequamur Deos alienos, quos ignoras: non attendas verba Prophetæ illius aut Somniatoris, quia tentat vos Dominus* Deus *vester*

Marginal notes: qu. 2 (beside "stra miracula gentilibus…"); Deuteron. c. 13. in pr. (beside "ipsúm Deum…" and "Prophetes aut Somniator…")

In hac igitur si videtur trutinâ castigemus examē, & dispiciamus, ad vniusne Dei verum cultum miracula Lipsiana ducant, an in plures diducant, & varia falsaque numina stabiliant, Nec abeundum hinc longiùs, ipse Lipsius palàm fatetur, *Non opus nunc esse Christo asserendo prodigiis: in Diuis aliter esse; Horū honorē aut* CVLTVM *merito asseri extra ordinem, eleuari, illustrari, maximeq; decus virginis Mariæ vindicari & augeri quotidie, atque hinc esse vt nullibi in nullo nomine aut titulo plura aut maiora miracula, quàm in eius exhibeantur.* Potuitne proloqui planiùs, sua miracula non ad verum & vnum Deum ducere, sed ad varia, falsaque, & diuinis sacrarum litterarum monumentis prorsùs ignorata numina? Quò enim tandem collimant, aut quem fructum ostentant finemque? Ne vnus ille æternusque Deus solus colatur, ne solus in necessitatibus periculisque adeatur, ne in auxilium inuocetur solus, & solus grates gratiasque pro liberatione audiat; sed vnà cum eo, imò verô pro eo (tamquam submoto Saturno Iupiter) innumerabiles homines defuncti adeoque mortuorum imagines, statuæ, stipites, cineres & ossa, ac imprimis idolum B. virginis, non iam Diuæ tantum, sed sine hæsitatione Numinis & Deæ. Nec falsò hoc Lipsius, omnes totius libri siue pagellæ, seu fabellæ hoc ipsum clamaut, & consensu testantur. Quotus enim quisque est, cui in rebus angustis & deploratis non Hallense lignum potiùs, quam Deus viuus, imo illud solum illicò vel sponte propriâ, vel suggestione alienâ in mentem venerit? Quis non sepositâ procul memoriâ Dei, gratias statuæ egit, tamquam vnicæ seruatrici? Iuuat ire in rem præsentem, & per exempla ordine ambulare. Capite VI. *In vnâ re ciues constantes, ad* Diuæ opem *confugiunt piis votis* &c. mox, *Qui non laudes gratesque* Sacræ virgini *corde, ore, plausu dixit?* Cap. VIII. *Spe omni atque ope humanâ abeunte, diuina subuenit,* putares hominibus longum vale dixisse & erexisse se ad Creatorem Vniuersi; sed erras; aberat is procul in cælo, præsentius paratiusque præsidium Hallis, à Lipsio itidem diuinum nuncupatum, Nam *in mente est Diva Hal-*

lensis,paulloque pôst, ***Orat iterum Diuam.*** & iure igitur ad extremum non Deus Vnus & Verus,sed ***Diua virgo omnium ore laudes accipit,& ad ipso quem*** Seruauit,testimonium Cap.IX. ***Non tam citò mors in oculis,quin Diua Virgo Hallensis in sensibus.***ac deinde,***postquam ipse emersit,Hallas venit, ceream imaginem obtulit.*** Cap.XIII ***fuit qui suggereret Diuam virginem Hallensem,communibus*** Votis Vocibusque Invocandam,deinde illi ***viri egressi,omissis rebus Hallas venère,& vitãse*** Virgini Debere ***testati, votũ bonâfide soluerunt.*** Cap.XIV.***Omnia experitur & facit,***vel igitur Deum non inuocauit,vel non audita à Deo fuit,etenim ***ad Diuam denique virginem ipsa auxilij causâ venit*** &c.& hac certè benigniore vsa est quã illo sequitur enim,***Eamus coramgratias actura benignissimæ Patronæ,cui tu*** Sanitatem,***ego*** vitam ***debeo***.Cap.XV.***Tollit in cœlum oculos,***sedem nimirum Dei,ad eumne ergo?imò ***& ô Dei mater quæ Hallis coleris***(quorsum oculos in cœlum,si cor Hallas missum?) ***matri succurre,***pôst,***Reddunt & ipsi votum Hallis lubentes meritò tibi*** Virgo Auxiliatrix.Cap.XVI.***Misera parens affligitur, & tandem vnâ aliqua præeunte,votum Diuæ Hallensi concipitur,quod ab eà auditur.*** Cap. XVII.***Collabitur*** &c,Consecrare ***infantem Diuæ Hallensi suadetur*** &c. ***rediuiuum Hallas defert,offert.***Cap.XIIX. ***Mater mæstissima inter mæstos stabat,suggestum*** Celebre notumque iam effugium(namRefugium vetus ad Deum viuum iam obsoleuerat,& antiquatum abierat in desuetudinem obliuionemque) ***ad Diuam hanc virginem*** &c.denique post ***mater Hallas venit,puellâ comite, quam*** offert ***meritò*** suæ seruatrici.Cap.XIX.***Videre visa specie honestâ fœminam,solatij quæ hec lege fecit copiam,*** Si vota concepisset Hallensi Deæ. At honesta hæc fœmina si Beata virgo fuisset, non eam opinor legẽ
Apoc.19. ver. 10. & ca.22.v.9. tulisset,quam Diabolus Christo,***Si me adoraueris;*** sed quam boni Angeli,***Vide ne feceris,conseruus tuus sum & fratrum tuorum,qui habent testimonium Iesu,***Deum adora. Restat igitur ut fuerit impurus quispiam Genius,transformatus in Angelum lucis. Cap. XX. ***In hoc doloris æstu ad Diuam virginem,quæ Hallis colitur,***(statuam opinor intelligit, nam ipsa Beata virgo cur Hallis potiùs quàm Romæ vel Laureti colidicatur, rationem non inuenio)***animum & preces***

preces pater vertit. & in fine, *mox Hallas, gratias acturi, & laudes Diuæ meritissimò, propagaturi.* Hæc inuestiganti recitãtique mihi incidit nodus, Lipsio vindice dignus: si quis votis Hallensi Deæ conceptis, ea deinde per obliuionẽ Lauretanę soluisset, vel vice versâ; habitura ne sit actionẽ altera in alteram, an communio quædam bonorum intercesserit inter eas, & societas vniuersalis: Et si istud; sitne ergo Hallensibus Sacerdotibus experiundi pro socio aut arbitrum communi diuidundo deposcendi ius, ex hac diuisione caput multò vnctius relaturis quàm ex vniuersa Lipsii Commentatione & præconio, & habituris deinceps *affatim* non solum *chlamydum*, sed etiam *pecuniarum*? Cap, XXI. *Itaque plangere & se affligere, & tamen* Spem *vel* Fiduciam *in Diuâ virgine ponere*, nimirum sic edocta à Spiritu Sancto, illo scripturæ loco, *Maledictus homo qui confidit in homine*. & hîc quidem gratiæ laudesq; non à matre vel superstitibus, sed pro his, ipso superstitiosiore Lipsio actæ, prece dignâ cuius deinde seorsim ratio habeatur. Cap. XXII. *Quoniam in innocentiâ parum præsidij est, ad illam (virginẽ Hallensem) appello, ea me tueatur*. Cap. XXIII. *Mentem ei tetigit memoria & affectus ergaDiuam Hallensem virginem*. itaque Toto corde eam invocat. & in f. *ipse Hallas tulit, atque ibi liberatricem Diuam meritò est veneratus.* Cap. XXIV. *Initio lapsus, Diuam virginem Hallis in mente habet.* Cap. XXV. *Incidit cogitatio illius inclytæ Hallensis, & statim animum eò mittit.* Cap. XXVI. *Quid consilij quod bonus Genius* (non ille modò relatus, qui Deum Adorandum suggessit) *Ioanni iniecit*, Inuocat Statim Diuam Hallensem. Hoc quidem Genius, meliùs quam Christus, qui inuocandum proposuerat cunctis Patrem Coelestem. Cap. XXVII. *Solatur & erigit verbis, & inter alia dicit, Diuam virginem Hallis coli* &c. deinde, *Nihil prius habuit quàm ad* Seruatricem *suam venire*. Age enim in his omnibus, cæterisque quæ persequi piget quæ vspiam Dei partes? quæ cuiusquam in eo fiducia, spes, memoria, cogitatio? vbi vel nomen eius in tanta precantium periclitantiumque turba fando auditũ? quis ab eo vel petiit beneficium, vel gratias egit pro accepto? Memoriam eius damnatam diceres, non secùs quàm eorum, qui nihil

Iere. 17. 5.

testamento legarunt missificaturis,pro expiatione Manium suorum. Vna B.Virgo hæc omnia ad se traduxit,semoto longè filio, Deoque excluso.Quid Virginem dico?idolum debui , illud quod Hallis colitur,quod sacello ibi inclusum, & altari superstans visitur,cui genua curuātur, munera offeruntur. Nec id à vulgo imperitorum duntaxat, in quorum gratiam Imagines primitus ab improuidis nouatoribus parùm cautè admissæ receptæque fuêre nec tamen vt pro numinibus essent,sed pro libris: Verùm ab ipso prôh Deum æternum, Lipsio,cuius sunt illa ad lignum prostrati cernuique,directa verba, *Tene ego Diua cerno? te fruor & datur ora tueri?*&c.*Suscipe & tibi deditum ô admitte clientem.*& hæc horrendi carminis precatio,non iam pro intercessione, sed missis ambagibus,pro salute & vitâ æternâ,*Effice vt momentaneâ hâc vitâ functi ad illam æternam* Te Duce *& directore veniamus: quod per illum quē genuisti, te que genuisti precamur*, ô Diua Diuarum ; vt deinceps non matrē apud filium intercedere,sed hunc apud illam pro mediatore interuenire necesse sit:imò nec necesse,cū Marte proprio ipsoque partu mysterium nostræ salutis consummarit.Igitur *ô potens,ô benigna,Nos quoque ab eodem fallaci serpente defende: &*, Quæ Caput eius Semel In sacra Partione tuâ Contriuisti, *ne caudâ nos flagellet aut sternat adiuua &* Indulge.Nam hæc qui à matre vel accepit vel expectat ei quid opus est filio ? Aut quid necesse fuit Christum Deum esse & hominem,vt moriens eam nobis liberationem pareret,quam pariens peperit Maria?Perge Lipsi, & Diuam virginem tibi Patronam & ducem habe in periculis, in molestiis, in omni vitæ cursu:Christum Relinque Nouatoribus colendum,iisque qui ad turbas & exitium Europæ nati, quando & ipse Nouator, Turbo, Seditiosus,Imperatori eidemque Pontifici Romano Maximo contumax rebellisque audiit. Nomē quoque ei in baptismo datū,transcribe matri, & auctoribus ducibusque Iesuitis da te in sodalitium Hallense,ut iisdem sacris initiati, dehinc pro Christianis dicamini mitiore vocabulo MARIANI: aut si vis breuius veriusque.

Vnum de medio tollere iota potes.

Gregor. P. lib. 9. ep. 9.

Cap. 1.

Cap. 12.

Capit. 11.

En

En finẽ fructũq; celebraorũ Lipsio miraculorũ. En iudiciũ Dei iustũ, pœnãque adfectatæ cœcitatis, & neglecti spretique diuini verbi in ingratissimos mortales, qui viam veritatis ac salutis, non vnde iussi, à Moyse & Prophetis, sed cũ impuro illo Diuite apud mortuos quærendam duxère. At nos Deum ducẽ sequamur ad alia omnia vocantem, & ex oraculis, non Pythijs illis siue Pythonicis & perplexis, sed sacrarum litterarum certis & apertis, istud omnium iam primùm addiscamus, defunctos rerum nostrarum necessitatumque nullam notionẽ habere, & frustrà igitur aduocari absentes & ignaros. *Viuentes*, inquit Sapiens, *sciunt se esse morituros: mortui autem nihil nouerunt amplius. Amor quoque & odium eorum & inuidie simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub sole geritur.* & Esaias, *Abraham nesciuit nos, nec Israël nos cognouit.* Quapropter Hulda Prophetissa de futuro Hierosolymorum & Iudeæ excidio Iosiam regem consolatura, *Pro eo quod humiliatus es*, ait, *coram Domino, idcirco te colligam ad patres tuos, & colligèris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum.* Optatque Ezechias Hierosolymorum euersionẽ clademque diffindi saltim post sua fata, ne videlicet spectator esset aut conscius tantarum calamitatum. Ex quibus locis in hanc sententiam argumentatur Augustinus, *Si tanti Patriarche quid erga populum ex his procreatum ageretur ignorauerunt, quibus* Deo *credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est; quomodo mortui viuorum rebus atque actibus cognoscendis, adiuuandisque miscentur? quomodo dicimus eis fuisse consultum, qui obierũt antequam venirẽt mala? quid est ergo quod pijssimo regi Iosiæ pro magno beneficio promisit* Deus, *quod esset antè moriturus, ne videret mala ventura?* &c. *Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, vbi non vident quæcunque aguntur aut eueniunt in istâ vitâ hominibus. Quomodo in pace requiescant, si intersunt miseriæ viuorum, sicut huic Iosiæ promissum est, vbi mala vlla nec patiendo, nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis, quæ patiendo & compatiẽdo, cùm hic viuerent, sustinebant?*

[Eccles. 9.5] [Cap. 63.16] [2. Reg. 22, 19.] [Esai. 39, 8.] [De cur. pro mort. ger. c. 13.]

Deinde cum in supplicijs votisque mens maximè spectetur, quæ nisi pura castaque est, non cultum sed contemptum exhibet, Eccl. 18, 23

& tentat numen potiùs quàm placat: inde fit vt frustra precibus adeatur, nisi qui corda scrutari & peruidere possit, an templis admoueatur illud

Compositum ius, fasque animi, sanctique recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Is autem solus est Deus, & loci in eius verbo expressissimi,

1. Samuel. 16.7. *Homo videt ea quæ oculis patent, Dominus autem intuetur cor.*

Ierem. 17.9 *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.*

1. Re. 8. 39 *Tu exaudies in cælo habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vnicuique secundum vias suas, sicut videris cor eius,* Quia tu Solus *nosti cor omnium filiorum hominum.*

Et Solus ergo Deus est, qui adorantium gestu vultuque ad submissionem composito & effic̃to falli nequeat. Siquidem vt ait Lib. 5. c. 20 Lactãtius, *Si quis ad sacrificiũ nõ integrâ conscietia venerit, audit quæ illi* Deus *comminetur, ille qui latebras cordis videt, qui peccatis semper infestus est, qui exigit iustitiam, qui fidem poscit, quis hic malæ menti, aut malæ preci locus?* Cæteri omnes Sancti iuxtà & Angeli, si maximè preces audirẽt, facilimè tamẽ ab exercitato histrione aut mimo circumuenti delusiue, auxiliũ, præsidium, perfugium, & quid amplius? cælum quoque & vitam æternam indulgerent iis, quorum simulatum & mimicum cultum ipse maximè execraretur, adeoque nec ratam haberet gratiam à minore illo Diuo vel gregario Genio collatã. Nec stultè nimis sapuisset ille Hybernus, qui Pog. in facet. in discrimine maritimo, cum virgini matri vouisset cereũ instar mali nauis, increpanti sodali clanculum insusurrauit in aures, vix candelà sebaceâ sese sospitatricem, si semel emersisset, dignaturũ. Et ille nescio quis Iudæus Maurusue (nõ enim memini nunc) qui inquisitionis Hispanicæ metu, crucifixi simulacro palã totoque corporis flexu veneratione͂, at manu sub pileo clàm ciconiam exhibuit. nisi quod hic fallere sese putabat sub tunicâ, cuius ne pallium quidem ab insensili trunco conspiciebatur. At verò Deus d. cap. 20. (inquit rursus Lactantius) *cuius cultus quoniam militia cælestis est,*

deuo-

deuotionem maximam fidemque desiderat, quomodo aut amabit colentē si ipse non ametur ab eo: aut præstabit precanti quidquid orauerit, cum ad precandum neque ex animo, neque obseruanter accedat?

Tertiò, excutiātur libri omnes sacri à capite ad calcem, Nullius vspiā inuocationis siue precept ū siue exemplū, multoque minus promissio opis auxiliiue reperietur, præterquàm vnius Dei huius autem omnia plena, vt apud regium Prophetam.

Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Psa. 50. 15

Vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei. Sopho. 3. 9

Si irruerint super nos mala, gladius iudicij pestilentia & fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo in quā inuocatum est nomen tuū, & clamabimus ad te in tribulationibus nostris: & exaudies nos, saluosque facies. Itēque, *Cum ignoremus quid agere debeamus,* HOC SOLVM *habemus residui, vt oculos nostros dirigamus* AD TE. 2. Chron. 20. 9, Eod. vers. 12.

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatē timētium se faciet, & deprecationem eorū exaudiet, & saluos faciet eos. Psa. 145. vers. 18. 19

Si quid petieritis PATREM *in nomine* MEO, *dabit vobis.* Iohan. 16. 26.

Quodcunque petieritis PATREM IN NOMINE MEO, *hoc faciam, vt glorificetur Pater in filio.* Idē. 14. 13

Quæ igitur ista hæc peruersitas & insania est, relicto hoc vitæ saluberrimo & abundantissimo fonte, puteos seorsim fodere pertusos & aquæ minimè tenaces? & Deum æternum ad sese tam benignè, tam largiter vocantē, tam se facilem promptumque votis nostris offerentem, non audire; vocare autem eos qui ipsi nō audiant, hominum mortuorum siue Manes, siue Imagines? Adde quod precatio nutās vacillansque & fide carēs non solùm nihil exorat, sed est ipsa quoq; peccatū, vt & alia quę absq; fide fiūt omnia: quodq; frustrà inuocatur, nisi in quē creditur, vt adfirmat Apostol⁹. Credi autē in vnū Deū solū oportere, qui nō credit, is ne Deū quidē credit. Quid igitur de sanctis dicemus? nisi quod Aug. *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur, vt tales quærant honores.* Verissimè. Nam ut idem alibi: *Vtrum etiam sibi an tantùm Deo suo qui etiā noster est, placeat*

Iere. 2. 13. Ro. 14 in f Ro. 10. 14. De ver. Reli. c. 55.

Lipsius se, suamque pennā virgini Hallensi (*religionis ritibus consecremus? Hic est enim Diuinitati, vel si expressius dicendum est, Deitati debitus cultus*, vnde Lactantius quoque, *Inexpiabile facinus esse* Lib.2. c.18 *deserere viuentem, vt defunctorum monumentis seruias: qui nec vitam nec lucem dare cuiquam possunt, qua ipsi carent*. & Hieronymus, *Nos* Ad Ripar. ep.53. *autem, non dico martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam non Angelos, non Archangelos, non Seraphim, non Cherubim, & omne nomen quod nominatur* (siue igitur Virginem dicas, siue Diuam aut Mariam, aut Statuam, aut Numen Tutelamque Hallensem, *& in praesenti saeculo, & in futuro* Colimus *& adoramus*, ne seruiamus Creaturae *potius quàm Creatori, qui est benedictus in saecula*. Nominatim autem de B. virgine Mariâ Epiphanius dicere non dubitauit Tom.2.l.3 haer.78. *Reuera sanctum erat corpus Mariae non tamen* Deus. *Reuera virgo erat, & honorata; sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsâ, carne genitus est*. & mox, *Quae verò scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum praecepit* Hominem *adorari, nedum* Mulierem? Item, *Si enim Angelos adorari non vult, quantò magis eam quae genita est ab Anna? quae ex Ioachim donata est Annae*? Et generaliter Carolus M. *Non mediocris est error, cum aliud adoratur* Reli- De imag. lib.1. c.1.2. gionis cultu, *quàm is qui dixit, Dominum* Deum *tuum adorabis, & ei* Soli servies. Vsque eò fixum & immotum stetit omnibus, illud Cap.42.8. apud Esaiam, *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus*. & apud Hoseam, *Deum* Cap. 13.4. *absque me nescies, & Saluator non est praeter me.*

Deinde ut ad Idola atque imagines, quâ de re agitur, descendamus, Quid in totâ sacrâ scripturâ frequētiùs occurrit, atque inculcatur singulis fermè paginis, quàm ne adorentur, colantur, fingantur, habeantur Religionis ergò pietatisue obtentu? & en tibi locos ex infinitis perpaucos,

Exo.20.4 *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, & quae in terrâ deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque* Coles.

Deut.4.15 *Custodite igitur sollicitè animas vestras (non vidistis aliquam similitudinem in die quâ locutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis,* m

ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem.

Non facietis vobis Idolũ & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terrâ veſtrá, vt adoretis eum. Ego enim ſum Dominus Deus *veſter.* Leuit. 26. 1

Diſſipate aras earum, & confringite ſtatuas &c: Non facietis ita Domino Deo *veſtro.* Deut. 12. 3

Caue ne requiras cæremonias earum, dicens, Sicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo *tuo.* Ibid. v. 30.

Væ qui dicis ligno, Expergiſcere; Surge, lapidi tacenti. Numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro & argento, & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius. Haba. 2. 19

Quid prodeſt Sculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile & imaginem falſam? Ibid. v. 18.

Pariter inſipientes & fatui probabuntur; doctrina vanitatis eorum lignum eſt. Ierem. 10. 8

Nec facies tibi atque conſtitues ſtatuã, quæ odit Dominus Deus *tuus.* Deu 16. 22

Nec Idololatræ eſtote, ſicut quidam eorum. 1. Cor. 10. 7

D*ilecti mei fugite ab Idololatriâ.* Ibid. v. 14.

Filioli cauete vobis ab Idolis. 1. Ioh. 5. 21

In quibus locis ſimilibuſque aliis primùm notandum, Scripturam promiſcuè vti vocabulis, quæ dolum, Imaginẽ ſiue ſculptam ſeu pictã & quodlibet denique ſimulachrum, quod proponitur colendum, deſignant. Deinde Dominũ vetare adorari, non Imagines duntaxat, Iouis verbi gratiâ, aut Mercurii; ſed & eas quæ in ſui cultum eriguntur, cùm ait, *Non facies ſimiliter Domino* DEO *tuo*. Ac ne in verbis cauillandi occaſio aut latebræ quærantur, inclinationem cultumque omnem diſertè prohibet: quemadmodũ ait de his, qui in cultus ſui puritate perſtiterant, Eos *non incur-*

lita; quæ essent aut incultus lapis aut materia informis & rudis nisi fuissent ab homine formata. Similiter Agobardus, *Certè si adorandi fuissent homines; viui magis quàm picti, id est, vbi similitudinem habent* De pictur. Dei, *non vbi pecorum, vel quod verius est, lapidum siue lignorum vitâ* p. 250. *ratione, sensu carentium.* Hæc tu Lipsi audis? & ad te pertinere sentis? qui ante ligneam Hallis statuam pronus prostratusque, & supinas manus ad Idoli genua protendens, illa ora, quæ non vident, salutare, illisque auribus, quæ non audiunt, surdas occinere versu prosâque nænias, ac te denique & adfectus & pennam suspendere stipiti, idque ipsum vltrò testatum facere & vulgare ad fines terræ sustinuisti? At

Non saxa nudis surdiora nauitis
Neptunus alto tundit hybernus salo,

quàm vel illam tu votis, vel te nos monitis nostris obtundimus frustrà & fatigamus, Si tamen non adgnoscis; adgnosco ego veritatem Oraculi, *Simulacris similes fieri tam eos qui faciunt, quam omnes qui confidunt in eis,* Et nihilominùs sentiẽt concludẽtque me- Psal. 115, 6. cum omnes, quorum iudicium fatalis vltio non corrupit, quosque Deus non dedit in reprobum sensum miracula tua, quæ ad tam fœdam idolatriã; pudendamque à vero Deo defectionem deducunt, ex ipsâ tuâ Notâ, nec vera esse nec Diuina, sed vt suprà docui, aut hominum figmenta, aut Dæmonum malas fraudes & frustrationes, aut si quid maximè insit nonprorsus ab omni veri specie alienũ, idipsum, permittente ita Deo & contẽptim habitum suum verbum iustè vindicante; à Diabolo conflatum esse, ad homines in errorum abyssum, perniciemque æternam coniiciendos, & constabiliendum regnum magnæ Meretricis.

Pap. Negare non possum, cùm in ea intueor, quæ ex sacris

lis semperque multo cum stupore defixa, ne semel quidem dvias attollere sese altius, aut Creatorē compellare, vel nomine nudo vocéue ciére. Et forsitan modum excesserit, amore atque ardore deificandi vitæ suæ Patronam. Sed quid obstat tamen, quò minus veri illius Dei veri adoratores, etiam beatarum animarum, quæ nunc in cœlis conspectu Dei præsentiâque propiùs fruuntur preces auxiliatrices adhibeant tamquam in subsidium & adminiculum ad expugnandam eiusdē benigni Patris misericordiā, qui gaudet vel importunâ flagitari assiduitate, & mutuarū inter nos precum auctor suasorque fuit? Factitatū id piis maioribus, exemplo hauddubiè ducto inde ab Apostolicis primisque Ecclesiæ Christianæ temporibus. Nec crediderim facilè aliā Lipsii mentē sensúmque fuisse. Ac video in ipsius B. virginis sinu brachiisque infantulum Christum, eiusdem cum matre honoris cultusque perpetuo & præcipuo iure participem.

Chr. At mihi quidem primùm spem & fiduciam in B. virgine ponere, eam pro seruatrice vnicè habere, defensionem à fallaci serpente, & salutem vitamque æternam prece non obliquâ orare, haud paullò excedere fastigium videntur simplicis pro iuuandis coniungendisue precibus compellationis. & velim scire quid amplius maiusue deferri Domino possit, si talia competunt in seruos? quidue hinc excipi, quod Deo seruetur extra sortem? Deinde vt hæc ita senserit Lipsius, attamen iam suprà confectum nobis scripturæ locis omni luce clarioribus, Sanctos, qui cœlo ex his ærumnis recepti sunt, nec scire omninò quid hîc rerū geratur nec in corda cogitationesque tacitas penetrare, nec in consortiū diuini cultus adsumptos, quin signāter etiam exclusos esse ab eo, qui negauit, gloriam se suam cessurum alteri: minimè verò omnium, intercessorū mediatorūve munere defungi pro nobis posse, qui honos vnius sit Christi peculiaris & proprius. Ipsum audi,

Ioh. 14. 6. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, & Apostolum,

Ephe. 2. 18 *Vtriq; per ipsum habemus aditum, per vnum spiritum, ad Patrem.*

Ephes. 3. 12 *In ipso habemus libertatem & auditum cum fiduciâ per fidem ipsius.*

1. Ioh. 2. 1. *Quod si quis peccauerit, aduocatum apud Patrem habemus Iesum*

Christum

Christum iustum.

Christus is est, qui mortuus est, imò verò etiam qui excitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, *qui etiam postulat pro nobis.* Rom. 8.33

Vis & adstipulatores Patres? accipe Augustinum, *Hoc dicit Saluator tuus, Nõ est quò eas nisi* Ad me: *nõ est quà eas, nisi* Per me & rursus, *In õnibus orationibus suis de* Vno Mediatore *securi sint: ipse* Vnus pro omnibus *interpellat, &* Vnus *verusque est mediator.* adde Chrysostomum, *Nullus precum effectus, nisi quas Dominus* Deo *Patri cõmendat.* Nam de Imaginibus atque Idolis vbique magnâ cum execratione interdictis à Deo detestatisque dicere iam & priora repetere piget. Nisi puod placet tamen argutia tua, quâ ex Idolo simplici geminum effecisti, & partem honoris materni deriuasti in prolem, Consimili enim ratione Equus Georgii vnà cum insessore suo adorabitur, & Antonii candelas participabit Porcus, venerationique erit Leo cum Marco, Vitulus cum Lucâ, Bos & Asinus cum imaginibus Iosephi & Mariæ, ipse denique Diabolus cum Michaële. Porrò de intimo Lipsii sensu quid ipse sentiam superiùs explicaui: Videri ipsum virginem matrẽ, Christumque filium, ac lignũ Hallense haud magno in discrimine ponere, nec dubitaturũ, si res ferat, his omnibus præferre sacrorum omnium principem patremque Papam. Verba quidem quæ audiuisti, nihil habent obscuritatis, h. e. sunt apertè prophana & impia. Semel in toto opere mẽtio ei excidit Orationis Dominicæ, sed ita vt in cõtinenti Salutatione Angelicâ vim eius dilueret & eneruaret, quasi hęc verò vel quidquam commune cũ precatione haberet, vel eâ mente finique pronunciata foret, vt per eam precantium attẽtio sufflaminaretur. Et quid porrò? vtramque vult recitari honori B. virginis, absque hoc condimento, quod Christus per obliuionem ...

In Iohan. tract. 22
Contr. ep. l. 2. c. 8.
in iohan hom. 1
Cap. 22.

Indulsit Cæsar queis Claudius omnia, quorum
Paruit imperiis vxorem occidere iussus,

vsurpatâ sibi dominationis vniuersæ vi & potestate, nomen titulumque inanem penes herum reliquerunt, Augustum & rerum Dominum dici haud ægrè passi: sic ipse B. Mariam *Cœli, terræ, maris Reginam ac Dominam*, non iure optimo maximo, sed veluti lege quadam clientelari, beneficiariam & obnoxiam constituerit: quæ mundi gubernationẽ iurisdictionemque demandatam publice priuatimque per se obiret, causasque & postulata singulorũ cognosceret, & pœnas ac præmia pro arbitrio nutuque decerneret, cæterùm Dei numen aliquod supra se adgnosceret, atque eius maiestatem comiter conseruaret.

Dijs se minorem quod gerit, imperat.

Cranz. l. 4. Wandal. c. 25. Cuius rei aptius in præsentiâ exemplum non occurrit, quàm Nicloti cuiusdam Obotritorum Reguli, cuius ad Henricum Leonẽ Saxoniæ Ducem eiusmodi responsum celebratur, *Sit* Deus *(quem nos quoque in cœlis regnare credimus) Deus tuus; tu verò esto Deus noster, & sufficit nobis. Cole tu illum, quàm voles religiosissimè; nos te venerabimur.* Verùm enimuerò in omnib. Claudianorum Libertorum actionibus, Cæsaris, Augustique, & Claudii tremenda vbique nomina personabãt, & sacræ iussiones prætendebãtur passim: neque cum seruis & subditis Imperii species titulusue communicabatur, & qui non in propriâ pelle quiescerent, nominis tamen sui metas haud excedebant: hîc Dei nomẽ exauditur parciùs, virgo-Mariis cuncta perstrepunt. vt non immeritò infelix Christi Sueton. in Iul. c. 10. simulacrum conqueri cũ M. Bibulo C. Cæsaris in ædilitate Collegâ posse videatur, idem sibi euenisse quod Polluci. Nam sicut istius cum fratre communis in foro ædes, solius Castoris vocabatur: ita gratiam suæ & Matris munificentiæ ad hanc solam commigrasse.

Hanc huius mundi regiminis formam Lipsi; libellus fabulosus fabulosam exhibet, à quâ nimium quantum abit & dissidet Lib. 2. c. 17 sententia dia Lactantii, *Sic mundum regi à* Deo, dicentis, *vt à Rectore prouinciam, cuius apparitores nemo socios esse in regẽdâ prouinciâ dixerit*

dixerit, quamuis illorũ ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter iussa Rectoris per ipsius ignorantiã, quæ est conditionis humanæ. Ille autem Præses mundi & Rector vniuersi, qui scit omnia, cuius diuinis oculis nihil septum est, Solus *habet rerum* omnium *cum* Filio *potestat. m; nec est in Angelis quidquam nisi parendi necessitas. Itaque* Nullum sibi Honorem tribui volunt, quorum Honor in Deo est, Iam ad morem maiorum, exemplumque Apostolorũ & priscæ primæque Christianorum Ecclesiæ quod attinet, quo tẽpore,

— Nec turba Deorum
Talis, vt est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus, miserum vrgebant Atlanta minori
Pondere: —

Si euidentissima S. Scripturæ & purioris veriorisque antiquitatis Patrum, quæ modò audiebas, oracula nondum satis absterserunt ab oculis tuis eam, *Quam stellis nebulam spargere candidis* potuêre fabulosa Lipsii & aliorum Papæ mancipiorum commẽta & impudentes gloriationes; adiiciemus si videtur, quę de hac re pleniùs perfectiùsq; executus est ille, quẽ nominaui dudum, priscæ puritatis fidus illustrator & adsertor inuictus,

Is veteres auias tibi de pulmone reuellet,

& in clará tranquillâque luce collocabit, quod ille olim de Repu. id ipsum hodie de Ecclesia Romanâ dici verissimè posse, *Eam* Paullatim *immutatam, ex pulcherrimâ pessumam ac flagitiosissimam factam esse.* Sallust. in Catelin.

Tu modò da tenuis aures, animumque sagacem,
Vera repulsanti ne abscedant pectore dicta,
Tu temet in culpâ cum sis, ne cernere possis.

Pap. Eccum me autem porrò & attentum & docilem. Nam ne quid dissimulem vltrâ, hæreo pridem, & quàm magis quæro

nõ inexploratã dimittere:sed quod facerẽ, si quis hæreditatis aut legati controuersiam mihi mouisset, vt non tantùm tabulas testamenti adire ipse & rimari cuncta, sed & peritos consulere & variorum varias sententias cognoscere cuperem, quoad de iure meo certò mihi liqueret, idem multò magis hîc experiri, ubi [illegible] domus aut fundus agitur, sed beatitudo aut exitium [illegible]um.

FINIS,

W

